UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00450564 0

THE

PUBLICATIONS

OF THE

SURTEES SOCIETY

ESTABLISHED IN THE YEAR

M.DCCC.XXXIV.

VOL. XXVII.

FOR THE YEAR M.DCCC.LIII.

OA
20
S9
V.27

LONDON:
J. B. NICHOLS AND SONS, PRINTERS,
25, PARLIAMENT STREET.

7823

THE

PONTIFICAL

OF

EGBERT, ARCHBISHOP OF YORK,

A.D. 732—766.

NOW FIRST PRINTED FROM A

MANUSCRIPT OF THE TENTH CENTURY,

IN THE IMPERIAL LIBRARY, PARIS.



Published for the Society

BY GEORGE ANDREWS, DURHAM;

WHITTAKER & Co. 13, AVE MARIA LANE; T. & W. BOONE,

29, NEW BOND STREET, LONDON;

BLACKWOOD AND SONS, EDINBURGH.

At the General Annual Meeting of the Surtees Society, held in the Warden's Room, in the Castle of Durham, on the 16th of June, 1852,

It was resolved, "That Archbishop Egbert's Pontifical be edited by the Rev. W. Greenwell, M.A., as one of the books of the Society for the year 1853."

W. G. HENDERSON, *Secretary.*

PREFACE.

The Surtees Society are now presented with the Pontifical of Egbert, Archbishop of York, the MS. of which is preserved in the Imperial Library at Paris, and is printed entire for the first time in this volume. Some extracts from it will be found in Martene's great work, De Ritibus Ecclesiæ Universis, and some of these have been reprinted from Martene by Mr. Maskell.

It is also the intention of the Benedictine monks of Solesmes (Sarthe) to print the MS. entire in their Spicilegium, now in the course of publication. This will, however, be so expensive a work that their having in contemplation to undertake it seems in no way to militate against the Society printing it in the present form.

Archbishop Egbert was the brother of Eadberct, King of Northumbria. He was brought up in the Benedictine monastery of Hexham; ordained deacon at Rome, and consecrated Archbishop of York A.D. 732.

The principal points worthy of notice in his history are contained in the following sentences of the Continuation of Bede's History:—

"Anno 732.—Egberct pro Vilfrido F iscopus factus.

"Anno 735.—Ecgberchtus Episcopus, accepto ab Apostolica sede pallio, primus post Paulinum in Archiepiscopatum confirmatus est . . . . et Bæda Presbyter obiit.

"Anno 766.—Ecgberctus Archiepiscopus prosepia regali ditatus ac divina scientia imbutus . . . . ad Dominum migravit."

To this may be added, that he was the friend of Bede, from whom there is extant a letter to him when Archbishop, not improbably Bede's last work; certainly it was written in the year in which he died: the patron of Alcuin, and founder of a library at York. He was the author of a Dialogue de Institutione Ecclesiastica, a work de Jure Sacerdotali, and a Pœnitentiale, in four books. The first was printed by Ware in 1664, and by Wharton in 1693; the last by Mr. Thorpe, for the Record Commissioners; of the second, portions only have been printed.

The Service-book called Pontifical contains those offices which could only be performed by a bishop; at any rate by a person specially authorized for the purpose; such as those for the consecration and ordination of bishops, and other orders in the church, for the coronation of kings, the consecration of churches and cemeteries, confirmation, and a number of benedictions for special objects and occasions.

In certain Pontificals also, as in this of Egbert, are found a series of benedictions for the Sundays

throughout the year, and for the greater feasts observed in the particular diocese for which it was written. This blessing was given by the bishop immediately before his receiving the Eucharist, and is not to be confounded with the ordinary sacerdotal benediction which occurs at the end of the Mass.* These benedictions seem never to have been in use in the Roman church, but in those of France, Spain, and England. They are often collected in a separate volume, called a Benedictional, a magnificent example of which, of the Anglo-Saxon period, is in possession of the Duke of Devonshire, and has been edited by Mr. Gage in the twenty-fourth volume of the Archæologia, with a learned Preface, to which the reader is referred.

Pontificals are of extremely rare occurrence, one copy only being required for each diocese: no Pontifical of English use was printed. There were editions of the Sarum, York, Hereford, and Aberdeen Missals, Breviaries and Manuals, Pyes, &c., but none of Pontificals: there is, in fact, only one printed edition of any Pontifical — that according to the use of the Roman See.

The following list is appended of the Pontificals of the Anglo-Saxon Church, known to the writer of this Preface, mainly in the hope that those who may know of others will be kind enough to communicate with the Secretary of the Surtees Society.

(1.) Sæc. IX. exeunt.: Part of a Pontifical. This is the latter part of a MS. (No. 146) in Corpus Christi

* Gage, Archæol. xxiv. 13.

College, Cambridge. The first part of the MS. is a fragment of another Pontifical, written about 1100. The second, fol. 61-232, the fragment now referred to. A list of the contents is given in the published Catalogue of Archbishop Parker's MSS., in possession of that college. It belonged to Worcester Cathedral.

(2.) To this century is referred, by the Jesuit Jos. Hartzheim, in his Catalogue of the MSS. of Cologne Cathedral, printed in 1752, a MS., then existing in that collection, called by him Pontificale Remense. He prints, however, from it the following passage: "Ut Regale Solium videlicet Saxonum Merciorum Nordanhumbrorumque sceptra non deserat, sed ad pristinæ fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut utrorumque horum populorum debita sibi subjectione fultus gubernare mereatur." The writer was informed of this MS. by the kindness of Dr. Rock: he is not aware whether it is still in the Cathedral Library.

(3.) Sæc. X. The Pontifical of Archbishop Dunstan; No. 943, in the Imperial Library at Paris. Extracts from this will be found in Martene, de Ritibus, &c.; and it is proposed to be printed entire by the Benedictines of Solesmes.

(4.) Sæc. X. The Benedictional of Ethelwold, Bishop of Winchester, 963-984, in the Library of the Duke of Devonshire. Edited by Mr. Gage in the Archæologia, vol. xxiv. anno 1832.

(5.) Sæc. X. British Museum, the Cottonian manuscript, Claud. A. III. 5. This volume contains fragments of two Pontificals:—

1. Fol. 7-17. Ordo Consecrationis Regis et Reginæ tempore Æthelredi, A.D. 978.
2. Fol. 85-104. A fragment of the same, containing the office de Ordinatione Abbatis, Monachi, &c.

This MS. is described by Wanley in the Catalogue of Cotton. MSS. p. 225.

(6.) Sæc. X. No. 27 in the Public Library at Rouen; commonly called the Benedictional of Archbishop Robert. It is a Pontifical, as well as a Benedictional; like the present Pontifical of Archbishop Egbert. This volume is supposed by Mr. Gage to have been written for Æthelgar, Archbishop of Canterbury, A.D. 989. It is fully described in the Archæologia, vol. xxiv. anno 1832. Extracts from this are given in Morinus, de Sacris Ordinibus, and in Martene. Morinus refers it to the eighth century.

(7.) Sæc. X. No. 362 in the Public Library at Rouen; referred to this date by Mr. Gage. By Martene, to about 900. Described by Mr. Gage in the Archæologia for March, 1833, where the Ordo ad Dedicandam Basilicam, &c. is given. It was originally in the Abbey of Jumieges, where Martene used it. Extracts from this MS. occur in his work.

(8.) Sæc. XI. No. 44 of Archbishop Parker's MSS. in Corpus Christi college, Cambridge. A Pontifical written before the Conquest. In it the kingdom is called Regnum Anglo-Saxonum; and the king Rex Anglorum vel Saxonum. In the Catalogue of Saints in the Litany S. Ælphege is invoked, who flourished at the beginning of the eleventh century.

(9.) In the British Museum, MS. Harl. 2906. A Pontifical of the eleventh century.

(10.) A copy of the Gregorian Sacramentary, belonging to Leofric, Bishop of Exeter, in the Bodleian Library. It is also a Pontifical and Benedictional.

(11.) The Missal of Archbishop Robert in the Public Library of Rouen. A Pontifical, as well as Missal. Date, circa 1050.

(12.) A volume described in Wanley, p. 149. Cod. Memb. in 8vo. crassiori ad cujus calcem habentur hæ adnotationes recenti manu scriptæ. "The Red Boke of Darbye (in the Peake of Darbyshire). This book was sometime had in such reverence in Darbyshire, that it was commonly believed that whosoever should swear untrulie upon this booke should run madd." In eo autem continentum, 11 Fragm. Liber Pontificalis Latinè (sive potius Missale) qui ut videtur ex tabula Paschali inscriptus fuit, A.D. 1061.

(13.) British Museum, MS. Cotton. Tib. C. I. 202. Fragmentum Libri Pontificalis, ff. 40-201, ante Conquestum Angliæ scriptum. Described in Wanley, p. 220.

(14.) Ib. Claud. A. III. Fr. 9 and 11, v. Catalogue of Cotton. MSS.

(15.) A MS. in the Library of Trinity Coll. Cambridge, No. 276.

(16.) It is said that there is an Anglo-Saxon Pontifical existing in the Library of the Church of S. Bavon in Ghent.

(17.) Martene, in his Voyage Litteraire de deux Benedictines, t. ii. p. 92, says, "Un des plus curieux MSS. de Marchienne (Nord) est un ancien Pontifical

à l'usage des Eglises d'Angleterre." Dr. Rock suspects this Pontifical to be much older than the time of St. Thomas of Canterbury, to whom Martene says it once belonged, and, from the rubric to anoint the priest's *head* at his ordination, that it is early Anglo-Saxon. It is also noticed by Martene, Antiq. Eccl. Rit. t. ii. 23.

The MS. from which the present Pontifical is printed is in the Imperial Library at Paris, No. 138, dans le fonds du supplement Latin. Martene cites it as being in the Library of the Cathedral of Evreux.

The MS. is in 4to. on vellum, and contains 182 folios.

The following description of it is by Mr. E. Miller of the Imperial Library, so well known of late in the learned world by his Edition of the MS. discovered in the Paris Library, supposed to be a work of Origen, for the University of Oxford :—

En tête une note, "Monsieur Leduc, Chanoine promoteur à Evreux. Ce MS. lui appartient—signé, Capparonnier."

Fol. 1 r. resté en blanc, et servant de feuillet de garde.

Fol. 1 v. écriture ordinaire du xe s. Benedictio ignis. Domine Deus noster.

Fol. 2 r. autre écriture. Explicit expositio secundum Johannem.

Fol. 2 v. écrit un peu plus moderne OR AD BA ββ τον δδ. Deus cujus spiritu.

En tête du feuillet 3 où commence le Pontificale d' Egbert on lit, "Eboracensis ecclesiæ sive Egberti Eboracensis archiepiscopi Pontificale litteris Saxonicis ab annis circiter 950 eleganter scriptum."

Puis en travers dans la marge en écriture du xve s., "Ce livre est en inventoire nommé Pontifical." Signé du signe S. Milit.

Ce titre de l'ouvrage est en majuscule, une ligne en noir et la suivante en rouge.

Excarpsum, &c. v. title infra.

Tous les titres sont écrits en onciales rouges, et les premières lettres de chaque alinea sont des majuscules tantôt rouges et tantôt noires, les derniers feuillets sont d'une écriture plus moderne. Sur le dernier on lit, "Anno millesimo septingentesimo nonagesimo rex captivus, regina pœne occisa, væ ecclesiæ, p̄pes fugient, sceptrum confractum, paulo post reviviscit ferrum et ignis in nobiles spoliario templi. Hæc Dunstanus servus Dei."

The original MS. then commences at fol. 3 and ends fol. 172. The last leaves contain an Evreux rite, In cœna Domini. This has been printed by Martene in his work de Ritibus. As to its date, Mr. Miller writes, "C'est une écriture dans laquelle on a cherché à imiter celles du xie siècle, mais qui est certainement moins ancienne." It is not printed in this volume, as it has no connection whatever with the original Pontifical, and is to be found in Martene.

The original MS. commences with the following title and fragment of the Penitential of Archbishop Egbert :—

EXCARPSVMDE
CANONIBVSCATH°
LICORVMPATRV̄
VELPÆNITENTIÆ
ADREMEDIVMANI
MARVMDOMINIEGG
BERTHTIARCHIEPĪ
EBVRACIVITATIS ✠

INSTITVTIO illa qvæ fiebat in diebus patrum nostrorum rectas vias numquam deseruit qui instituerunt penitentibus atque lugentibus suas passiones ac vitia medicamenta salutis æterne; Quia diversitas culparum diversitatem facit penitentibus medicamentum, vel sicut medici corporum diversa medicamina vel potiones solent facere contra diversitatem infirmitatum, vel judices sæcularium causarum diversarum; igitur judicia qui boni sunt et qui recti pensant ad que tractant quo modo recti judicent, inter miseros et divites, inter causam et causam; Quanto magis O sacerdotes dei diversa medicamenta animarum invisibilium hominibus pensare et tractare oporteat ne per stultum medicum vulnera animarum fiant pejora; Propheta dicente conputruerunt et deterioraverunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ; O stulte medice noli decipere animam tuam et illius ne duplicem pœnam accipias vel septuplam vel millenam; Audi Christum dicentem; Si cecus cecum duxerit ambo cadent in foveam; Si tu non cogitas judicium meum alter homo non audit neque videt qui me judicet; O non intellegis quod deus judex justus et fortis videt et audit et in palam abscondita deducit et reddet secundum opera; Et iterum vere sunt nonnulli cecorum, canum similitudine currentium ad cadavera mortuorum vel corvorum volantium qui ad sacerdotium evehuntur qui non propter deum, sed plus propter honorem terrenam, nam inhiantes ceci divina sapientia; De talibus dixit Gregorius Nazanzenus; Timeo hoc quod canes adsectantur officium pastorale maxime cum in semet ipsis nihil pastoralis preparaverunt discpline; Ezechiel namque ait; Ve pastoribus Israel qui pascebant semet ipsos et non gregem; lac bibebant et lanis eorum operiebantur; et quod crassum fuit manducabant, quod fractum fuit non alligabant, et rlq. Item Ezechiel ait; Ve sacerdotibus qui comedunt populi mei peccata, hoc est sibi eorum sumentes victimas et non orantes pro eis, comedentes hostias et non corripientes; Qui ubi morituros homines audiunt inde gaudentes et preparant se ad predam quasi corvi ad cadavera mortuorum; nunc ergo o fratres qui voluerit sacerdotalem auctoritatem accipere; In primitus propter deum cogitet et preparat arma ejus, ante quam manus episc̃. tangat caput; Id est

psalterium, lectionarium, antifonarium, missale, baptisterium, martyrlogium, in anno circuli ad predicationem cum bonis operibus et compotum cum cyclo hoc est jus sacerdotum. Post ea autem penitentialem qui hoc ordine secundum auctoritatem canonum ordinatus, ut discretiones omnium causarum investiges; Primitus sine quibus rectum judicium non potest dare, quia scriptum est in nulla re appareas indiscretus sed distingue quid, ubi, quamdiu, quando, qualiter debeas facere, non omnibus ergo in una eadem que libra pensandum est; licet in uno constringantur vitio, sed discretio sit unicuique eorum; hoc est inter divitem et pauperem, liber, servus, infans, puer, juvenis, adolescens, ætate, senex, ebitis, ignarus, laicus, clericus, monachus, episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector, in gradu vel sine, in conjugio, vel peregrinus, virgo, femina, canonica, vel sc̃a monialis, debiles, infirmi, sani, de qualitate corporum vel hominum, continens vel incontinens, voluntate, loca et tempora discernat; hanc institutionem constituerunt sancti apostoli, deinde sancti patres et sanctus Penufius, deinde canones sanctorum patrum, deinde alii atque alii; Ut Hieronimus et Agustinus et Gregorius et Theodorus, ex quorum omnium ista descripsimus dictis et sententiis veraciter ut salvi sint omnes et pusillanimes quia potentes potenter tormenta patiuntur; Item in Jesu filii Syrach in judicando esto misericors: Pupillis ut pater et pro viro matri illorum, Item sanctus Jacobus dicit, Judicium sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam; super exaltet autem misericordia judicium, ut idem ipse consequatur, ut sanctus Benedictus, hoc est veram penitentiam faciunt, in jejunio et fletu, in elemosinis, in orationibus, et perpetrata iterum non faciunt, et si faciunt tamen non perseverant in eis, quia Deus dixit, malum cogitasti ignovi, malum dixisti ignovi, malum fecisti ignovi, perseverare in malo non ignosco, ergo qui perseverant in malo non ignosce, sed judica districtum judicium secundum canones, ut alii timorem habeant.

Vt unusquisque sacerdos æclesiam suam cum omni diligentia ædificet, et reliquias sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis et divinis officiis conservet; Ut omnes sacerdotes horis con-

petentibus diei et noctis suarum sonant æcclesiarum signa et sacra tunc deo celebrent officia et populos erudiant, quomodo aut quibus deus adorandus est horis; Ut omnibus festis et diebus dominicis unusquisque sacerdos evangelium Christi prædicat populo; Ut unusquisque sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat ut sciant qualiter decimas totius facultatis æcclesiis divinis debite offerant; Ut ipsi sacerdotes a populis suscipient decimas et nomina eorum quicunque dederint scripta habeant et secundum auctoritatem canonicam coram timentibus dividant, et ad ornamentum æcclesie primam eligant partem, secundam autem ad usum pauperum atque peregrinorum, per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensant; Tertiam vero sibimet ipsi sacerdotes reservant; Ut unusquisque sacerdos orationem dominicam et simbolum populo sibi commisso curiosæ insinuet ac totius religionis studium et christianitatis cultum eorum mentibus ostendant; Ut cuncti sacerdotes precibus assiduis pro vita et imperio domni imperatoris et filiorum ac filiarum salute orent; Ut unusquisque sacerdos cotidianis adsistat orationibus pro pontifice cujus gubernatur regimine faciat; Ut nullus sacerdos in domibus vel in aliis locis nisi in ecclesiis dedicatis celebrare missas audeat, ut a cunctis sacerdotibus jus et tempus baptismatis temporibus congruis secundum canonicam institutionem cautissime observetur; Ut omnes sacerdotes quibus cumque horis omnibus indigentibus baptismum infirmitatis causa diligentissime tribuant; Ut nullus presbyter sacrum officium sive baptismate sacramentum aut aliquid donorum spiritalium pro aliquo pretio vendere presumat ne vendentes et ementes in templo columbas imitentur, et pro his quæ adepti sunt gratia divina non pretio concupiscant terrena sed solam regni cœlestis gloriæ promereantur accipere; Ut nullus presbyter a sede propria sancte æcclesiæ sub cujus titulo ordinatus fuit ammonitionis causa ad alienam pergat æcclesiam sed inibidem devotus usque ad vitæ permaneat exitum; Ut nullus ex sacerdotum numero æbrietatis initium nutriet nec alios cogeat per suam jussionem inebriari; Ut nullus sacerdos extranearum mulierum habeat familiaritatem nec in sua domo in qua ipse habitat nullam

mulierem umquam permittat habitare; Nulli sacerdotum liceat fide jussorum esse neque derelicta propria lege ad secularia judicia accedere presumat; Nemo ex sacerdotum numero arma pugnantium umquam portat nec litem contra proximum ullam excitet; Ut nullus presbyter edendi aut bibendi causam gradiatur in tabernis; Ut nullus sacerdos quicquam cum juramento juret sed simpliciter cum puritate et veritate omnia dicat; Ut cuncti sacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimina dignam penitentiam cum summa vigilantia ipsis judicant, et omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum et communionem corporis Christi misericorditer tribuantur; Ut secundum diffinitionem sanctorum patrum Si quis infirmatur a sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter unguatur.

This passage is printed literatim from the MS.

The Pontifical itself commences at fol. 7 recto.

The following insertions occur in the body of the MS.:—

At fol. 75 verso of the MS., p. 57, the four lines from "dum sanctificatus" to "acceptabilis" are an addition in the handwriting of the eleventh century, but not Anglo-Saxon.

Between ff. 125 and 126 is inserted a folio containing the prayers printed between brackets, pp. 98, 99. They are in a handwriting of the twelfth century, not Anglo-Saxon.

Between ff. 151 and 152 is inserted in a hand of the eleventh century, but not Anglo-Saxon—

"Dum datur anulus.

"Accipe anulum fidei ad conservandum æcclesiam sanctam Dei. Sub hoc anulo fidei commendamus tibi sponsam Xti ut eam sanctam et immaculatam custodias in conspectu illius in omni bonitate.

Dum datur baculus.

Accipe baculum salutis ut scias tumentium cord . . . reprimere et infirmantium relevare in nomine Domini Jesu Christi.

Accipe virgam pastoralis officii, et rege populum tibi commissum justitia et timore Dei.

Fol. 151 versum is printed at p. 119, and 152 rectum at p. 120.

The following fragment in Anglo-Saxon is inserted between ff. 157 and 158. It closely resembles the writing of the MS., and appears to be by the same hand :—

Broðor ðaleofestan se onlýsað eow of sýnna bendū ongesprixle ðæs euðegan setres ðara apostola ealdres ðam ðe ure drýhten ðone anseato sealde sýnna to gebindeonne ⁊ eft to onlýsenne, ac sua miclum sua eow to belimpð eorna sýnna gesregeðnes ⁊ us togebýreðs to forgifenes ·sie god ælmihtig lif ⁊ hælo eallū eornū sýnnū forgifen ðurh ðone ðemiðhun leofað ⁊ rieað geond world ⁊ world. AMN.

"Beloved Brethren,—We absolve you of the bonds of your sins, as representing Saint Peter, the chief of the Apostles, to whom our Lord gave the power to bind for sins and to loose again; and so far as the accusation of your sins belongs to you, and the forgiveness of them to us, so far be God Almighty life and preservation against all your sins—forgiven through Him, who with Him liveth and reigneth through worlds and worlds."

A facsimile of the title of the manuscript "Excarpsum," &c., will be found in Silvestre de Sacy's work on Palæography.

The original Pontifical of Archbishop Egbert must have been two hundred years older than the present MS. It may seem probable that a copy of the original Pontifical was taken into France by Alcuin, when engaged in assisting Charlemagne in his restoration of the Gallican Church, and that the present MS. may be a copy of such a transcript, made for the use of the Bishop of Evreux. Dr. Rock, in the first volume of his Church of our Fathers, p. 282, has spoken of the Anglo-Saxon MSS. being sent over into France, or copied by French scribes, for the use of the churches there. The Rheims Pontifical above mentioned, p. viii. is one instance. Again, the Rouen Pontifical, No. 362, appears, from an addition at the end, to have been the Pontifical of the Bishop of Alet, now Saint Malo, in Britany.

It is possible that more Anglo-Saxon MSS. may yet be found in Normandy and Britany. There are collections of MSS. in several of the towns, which do not seem to be much known; for instance, at Valognes in the Cotentin are one hundred, at Avranches two hundred MSS.

The two Litanies will be found at pp. 29 and 32. The names of Saint Cuthbert and Saint Guthlac among the confessors point to the northern origin of the book.

The latest saint named is Saint Guthlac, a monk of Croyland, who flourished at the end of the seventh and beginning of the eighth century.

PONTIFICAL

OF

ARCHBISHOP EGBERT.

PONTIFICALE ECGBERHTI,

ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS.

Ordinatio Episcopi.

Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant et teneant Evangeliorum librum super cervicem ejus, et unus fundat super eum benedictionem, et postea istas tres orationes omnes Episcopi, qui adsunt, recitare debent; reliqui vero manus suas super caput ejus teneant.

Oremus, dilectissimi nobis, ut huic viro Ill. ad utilitatem Æcclesiæ provehendo benignitas Omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per.

Item alia.

Adesto supplicationibus nostris Omnipotens Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur affectu. Per.

Alia.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum Ill. cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, supplicum preces, ut quod nostro gerendum est ministerio, tua potius virtute firmetur. Per.

Iterum unus ex eis dicat hanc orationem super Episcopum.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, que gloriæ tuæ sacris famulantur ordinibus, Deus qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affectu, inter cetera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens electum Aaron, mistico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam enigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris cultus ad mentis nostræ habitum ornatus est, et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum; quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo Ill., quem ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat: comple in sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum eum cœlestis unguenti flore sanctifica ✠, hoc, Domine, copiose in ejus capud influat ✠, hoc in oris subjecta decurrat ✠, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus et interiora ejus repleat, et exteriora circumtegat: abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis: sint speciosi pedes ejus ad evangelizandum verbum tuum, non in persuadibilibus humane sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Domine, claves regni cœlorum, ut quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in cœlis, et quodcumque solverit super terram, sit solutum in cœlis, et quorum detinuerit peccata, detenta sint, tu, Domine, dimittere digneris: da ei humilitatem veram, patientiam perfectam, ut non dicat bonum malum, nec malum bonum, nec ponat lucem in tenebras, nec tenebras in lucem: tribuas ei cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem universam: sis ei auctoritas, sis potestas, sis ei firmitas: multiplices super eos (*vel* eum) benedictionem et gratiam tuam, ut ad exo-

randam misericordiam tuam, tuo munere semper idonei (idoneus), tua gratia possint (possit) esse devoti (devotus). Per.

Consecratio manuum Episcopi.

Unguentur manus istæ et santificentur, et in te Deo Deorum ordinentur. Unguo has manus oleo sanctificato, et chrismate unctionis purificato, sicut unxit Moyses verbo oris sui manus sancti Aaron germani sui; et sicut uncxit Spiritus Sanctus per suos flatus manus omnium sacerdotum; et sicut Jesus Salvator omnium nostrorum sanctificat manus suorum Apostolorum. Ita unguentur manus istæ et sanctificentur et consecrentur, ut in omnibus sint perfectæ, in nomine tuo, Pater, Filiique tui, atque æterni Spiritus Sancti, qui es unus ac summus Deus omnium vivorum et mortuorum manens in sæcula sæculorum.

Alia.

Unguentur manus istæ et consecrentur de oleo sanctificato, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam. Ita unguentur et consummentur in nomine Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Modo mittendum est oleum in caput ejus.

Unguatur et consecratur caput tuum cœlesti benedictione in ordine pontificali. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Pax tibi.

Et cum spiritu tuo.

Cum datur baculus hæc oratio dicitur.

Accipe baculum pastoralis officii, et sis in corrigendis vitiis seviens, in ira judicium sine ira tenens, cum iratus fueris misericordiæ reminiscens.

Cum anulus datur hæc oratio dicitur.

Accipe anulum pontificalis honoris, ut sis fidei integritate munitus.

Oratio ad pontificem ordinandum, quæ addi debeat in consecratione, cujus initium est.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, que gloriæ tuæ sacris famulantur ordinibus: Deus qui Moysen famulum tuum, *et cetera usque quo ait*, et idcirco huic famulo tuo Ill., quem apostolicæ sedis præsulem et primatem omnium qui in orbe terrarum sunt sacerdotum, ac universalis Æcclesiæ tuæ doctorem dedisti, et ad summi sacerdotii ministerium elegisti; hanc, quæsumus Domine, gratiam largiaris, tribuas cathedram pontificalem ad regendam Æcclesiam tuam et plebem universam. Per.

Modo mittendus est in cathedram episcopalem, et hæc oratio dicenda est.

Omnipotens Pater, Sancte Deus æterne, tu omnem ordinem dignatus es in cœlestibus sedibus ordinare, ut ait Psalmista: Domine, in æternum permanet verbum tuum. Tu in cœlo angelos et archangelos suo tibi ordine mancipari, et in veteris testamenti privilegio Moysen et Aaron et Samuhel, inter eos in sacerdotibus tuis qui invocant nomen tuum, patriarchas et prophetas, perungi ordinasti, in novo per Filium tuum Jesum Christum apostolos sanctos ex sanctis omnibus elegisti, primum Petrum apostolum in cathedra honoris, et Mathian ejusdem consortem in apostolatum atque cathedram honoris enumerasti, et in numero sanctorum omnium apostolorum evocasti, et ut Spiritus Sanctus ait per prophetam: in cathedra seniorum laudent Dominum: divino nutu æque de aliis hæc adque aliis contigerunt. Et nunc, Domine, pro tua immensa misericordia in nostris temporibus, da similem gratiam fratri nostro Ill., ad instar sanctorum apostolorum tuorum sedentium in cathedra honoris et dignitatis, ut in conspectu majestatis tuæ dignus honore appareat. Per eundem.

Domine Jesu Christe, tu præelegisti apostolos tuos, ut doctrina sua nobis præessent, ita etiam vice apostolorum hunc episcopum doctrinam docere, et benedicere, et erudire digneris, ut inmaculatam vitam et inlesam conservet. Per omnia.

Benedictio ejusdem sacerdotis.

Populus te honoret, adjuvet te Dominus, quicquid petieris prestet tibi Dominus cum honore, cum castitate, cum scientia, cum largitate, cum caritate, cum nobilitate. Dignus sis, justus sis, humilis sis, sincerus sis, urbanus sis, apostolus sis. Accipe benedictionem et apostolatum qui permaneat in die isto, et in die futuro, angeli sint ad dexteram tuam, apostoli coronati ad sinistram, Æcclesia sit mater tua et altare. Sit Deus pater tuus, sint angeli amici tui, sint apostoli fratres tui, et apostolatus tui gradum custodiant. Confirmet te Deus in justitia, in sanctitate. In Æcclesia sancta angeli recipiant te. Et pax tecum indiscrepabilis per redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Alia benedictio in consummatione episcopi.

Spiritus Sanctus septiformis veniat super te, et virtus Altissimi sine peccato custodiat te, et omnis benedictio, quæ in scripturis sanctis scripta est, super te veniat. Confirmet te Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Super oblata.

Hæc hostia, Domine quæsumus, emundet nostra delicta, et sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Alia super oblata.

Suscipe, Domine quæsumus, munera quæ tibi offerimus pro famulo tuo Ill., et propitius in eodem tua dona custodi. Per.

In fractione.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, set et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo Ill. quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es. Quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod

divino consecutus est munere, divinis effectibus exsequatur per diesque nostros. Per.

Benedictio episcopalis hujus missæ.

Deus, qui populis indulgendo consolaris, et amore dominaris, da spiritum sapientiæ quibus tradidisti regimen disciplinæ. Amen.

Ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum, et de electione earum gaudeant simul in æternum.

Et qui* dierum nostrorum numeros,† temporumque mensuras, majestatis tuæ potestate dispensas, ad humilitatis nostræ respice servitutem, et pacis tuæ abundantia tempora nostra pretende et conserva. Amen.

Collatis quoque in nos per gratiam tuam propitiare muneribus, et quem fecisti gradu episcopali sublimem, fac operum perfectione tibi esse placabilem. Amen.

Atque in eum affectum dirige cor plebis et presulis, ut nec pastori obœdientia gregis, nec gregi unquam‡ desit cura pastoris. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui causa nostræ salutis dignatus est venire in terris. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Ad communionem.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et cœlestis remedii faciat esse consortes. Per.

Alia ad complendum.

Plenum, quæsumus Domine, in nobis remedium tuæ miserationis operare, et tales nos esse perfice, ut propitius nos ubique fovere digneris. Per.

CONFIRMATIO HOMINUM AB EPISCOPO DICENDA QUOMODO CONFIRMARE DEBET.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare§ dignatus es hunc famulum tuum ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti ei

* MS. quidem.

† MS. muneros.

‡ MS. gregiumque.

§ MS. regerare.

remissionem omnium peccatorum: tu, Domine, mitte in eum septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de cœlis. Amen.

Da eis spiritum sapientiæ et intellectus. Amen.

Spiritum consilii et fortitudinis. Amen.

Spiritum scientiæ et pietatis. Amen.

Imple eum spiritu timoris Dei et Domini nostri Jesu Christi, et consigna eum signo sanctæ cru✠cis tuæ propitiatus in vitam æternam. Per.

Hic debet mittere chrisma in fronte ipsius hominis, et dicere:

Accipe signum sanctæ cru✠cis chrismate salutis in Christo Jesu in vitam æternam. Amen.

Pax tecum.

Et cum spiritu tuo.

Pax et benedictio Domini sit semper tecum.

Et cum spiritu tuo.

Postea hanc orationem recitare debet.

Confirmet te Deus, Pater, et Filius, et Spiritus. Sanctus, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum: benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas quæ bona sunt in Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Pax tecum in vitam æternam. Amen.

Modo ligandi sunt.

Deus, qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores, cæteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, et presta ut eorum earumque corda, quorum vel quarum hodie frontem delinivimus, et signo crucis confirmavimus, Spiritus Sanctus adveniens templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per.

Modo communicandi sunt de sacrificio.

Sequitur benedictio episcopalis.

Benedicat vos Omnipotens Deus, qui cuncta ex nichilo creavit, et vobis in baptismate, et in confirmatione remissionem omnium peccatorum tribuat. Amen.

Quique Spiritum Sanctum igneis linguis suis dedit discipulis,

corda vestra ipsius illustratione irradiet, atque in sui amorem jugiter accendat. Amen.

Quatenus a cunctis vitiis emundati, ipsiusque opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum illius effici mereamini. Amen.

Ille, qui vos creavit, ab omnibus malis imminentibus custodiat, et ab omni pravitate defendat. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Alia benedictio ad missam post confirmationem.

Effunde, quæsumus Domine, super hos famulos tuos et famulas tuas cœlestem benedictionem tuam, quibus per nos eximium septiformem Spiritum Sanctum tuum tradere voluisti, eisdemque Spiritus Sancti gratiam et dona largire. Amen.

Ut quicumque sunt ex aqua et Spiritu Sancto renati semper sint tua protectione muniti. Amen.

Redundet in eis diffusa caritas per Spiritum Sanctum, quæ operiat ac superet omnem multitudinem peccatorum. Amen.

Protege eos et eas protectione divina, ut fugiant ab eis universa peccata, et tua semper studeant adimplere præcepta. Amen.

Requiescat in eis propitius, qui quondam requievit in apostolis gloriosus.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Incipit ordo de sacris ordinibus qualiter in Romana æcclesia presbiteri, diaconi, subdiaconi, vel ceteri ordines clericorum benedicendi sunt.

Mensis primi ebdomada prima (vel *Martii jejunium*), *quarti ebdomada secunda, septimi* (*Septembris*) *ebdomada tertia, decimi* (*Decembris*) *ebdomada quarta, sabbatorum diebus in duodecim lectionibus, sicut in Sacramentorum libro continetur ad Sanctum Petrum, ubi missæ celebrantur, postquam antiphonam ad introitum dixerint, data oratione annuat* (*adnuntiat*) *pontifex in populum dicens* (*iterum dicens*):

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, elegimus in ordinem diaconi *sive* presbyteri illum subdiaconum *sive* diaconum de titulo Ill., illum presbiterum de titulo Ill. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verum memor sit communionis suæ.

Et post modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrieleison *cum lætania. Hac expleta ascendunt ipsi electi ad sedem pontificis, et benedicit eos ad quod vocati sunt; et descendentes stant in ordine sua benedictione percepta.*

Item qualiter commonuit Paulus Apostolus per epistolam suam Timotheum discipulum suum.

Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Quid est nemini manum cito imposueris, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ? Sicut boni operis comportat fructus qui rectum scrutatur in eligendo sacerdote judicium, ita grave sibimet ipsi efficit damnum qui in suæ dignitatis collegium sublimat indignum.

Capitulum Sancti Gregorii Papæ.

Sicut qui invitatus rennuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus removendus, sic qui ultro ambit, vel importunus se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscendere, quid ait nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur, quia ad hoc ut fiat hereticus promovetur?

Ex Concilio Calcidonense titulo II.

Quod non debeant officia æcclesiastica per pecunias ordinari.

Si quis episcopus per pecuniam fuerit ordinatus, et sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest venundari, ordinaverit quæ etiam per pecuniam episcopum, aut presbiterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem aut defensorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ pro suo turpissimo lucro modo: is cui hoc adtemptandi probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit; et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate

vel sollicitudine quam per pecunias adquisivit. Si quis vero meditator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis extiterit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat, sive laicus aut monachus anathematizetur.

Requiratur de hoc capitulo in Omelia Sancti Gregorii IIII. de Evangelio secundum Matheum.

Misit Jesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis dicens: in viam gentium ne abieritis.

Et ibi per omnia liquide invenietur, quia nullo modo episcopus aliquod munus accipere debet de sacris ordinibus.

Ex Concilio Kartaginensis Capitulo xvij.

De Psalmistis.

Psalmista, id est cantor, posteaquam ab archidiacono instructus fuerit, potest absque conscientia episcopi, sola jussione presbiteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbitero: Vide ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis, operibus probes.

Item de vij^{m} gradibus Æcclesie quos adimplevit Christus.

Ostiarius fuit, quando conclusit et aperuit archam Noe, et portas inferni aperuit; unde modo hostiarii qui dicuntur, æcclesie ostia et sacrarii, et tangere signum ut occurrant omnes, custodiri jubentur. Lector fuit, quando aperuit in sinagoga Judeorum librum Isaiæ prophetæ, et legit, Spiritus Domini super me, *et cetera.* Sunt igitur lectores qui verbum Dei predicant, quibus dicitur, Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Exorcista fuit, quando ejecit septem demonia de Maria Magdalene. Exorcistæ ex greco in latino adjurantes vocantur. Invocant enim super catecuminos, vel superbos qui habent spiritum inmundum, nomen Jesu, adjurantes per eum, ut egrediatur ab eis. Subdiaconus fuit, quando benedixit aquam in Chana Galileæ, et convertit in vinum. Subdiaconum vero oportet apostolum legere, vestire et honestare altaria, et ministrare diacono. Diaconus fuit, quando confregit quinque panes in quinque milia hominum, et vij^{m} panes in iiij^{or} milia, sive quando lavit pedes discipulorum suorum. Diaconus namque oportet ministrare ad altare, et evangelium legere in æcclesia, baptizare et communicare in vice presbiteri, peregrinorum

pedes lavare, et mortuorum corpora sepelire. Presbiter fuit, quando accepit panem in suis sacris manibus, similiter et calicem, respiciens in cœlum ad Deum Patrem suum, gratias agens, et benedixit. Presbiteros autem merito et sapientia dici non ætate intelligendum est. Presbiterum autem oportet benedicere, offerre, et bene præesse, predicare, et baptizare, atque communicare, quia his supradictis gradibus senior est, et vicem episcopi in æcclesia facit. Non enim propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbiteri nominantur. Quod si ita, mirum cur insipientes constituuntur. Episcopus fuit, quando elevatis manibus benedixit discipulos suos apostolos in Bethania, et educens eos foras elevatus est in cœlum. Episcopum oportet judicare, et interpretari, consecrare, et consummare, quin et ordinare, offerre, et baptizare. Episcopus autem grece latine superinspector, quia omnia prospicere debet vel ordinare.

Hi sunt vij. gradus Æcclesie, et eorum officia.

Item quomodo prefatis ordinibus sacrandis tempore statuto sabbatorum diebus per tempora mensium, sicut in capite hujus libelli prefixum est, agere et benedicere venit.

Ordinatio Ostiarii.

Ostiarius (vel *ostiarii*) *cum ordinatur* (vel *ordinantur*), *postquam ab archidiacono instructus* (vel *instructi*) *fuerit* (vel *fuerint*), *qualiter in domo Dei debeat* (vel *debeant*) *conversari, ad suggessionem archidiaconi tradat ei* (vel *eis*) *episcopus claves de altari, dicens* ✠:

Sic age (*vel* agite) quasi redditurus (*vel* reddituri) Deo rationem pro his rebus, quæ istis clavibus recluduntur.

Et tradat ei (vel *eis*) *archidiaconus ostium æcclesiæ.*

Prefatio Ostiarii.

Deum Patrem Omnipotentem suppliciter deprecamur, ut hunc famulum suum (*vel* hos famulos suos) Ill. benedicere dignetur, quem (*vel* quos) in officium ostiarii eligere dignatus est, ut sit ei (*vel* eis) fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus ad distinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini :

adjuvante Domino Nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti per omnia.

Benedictio ejusdem.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. ostiarium (*vel* ostiarios), ut inter janitores æcclesiæ pareat (*vel* pareant) obsequio, et inter electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis. Per.

Ordinatio Lectoris.

Lector (vel *lectores*) *cum ordinatur* (vel *ordinantur*), *faciat de illo* (vel *illis*) *verbum episcopus ad plebem, indicans ejus* (vel *eorum*) *fidem ac vitam atque ingenium. Post hæc, expectante plebe, tradat ei* (vel *eis*) *codicem de quo lecturus est, dicens:*

Accipe (*vel* accipite) et esto (*vel* estote) verbi Dei relator habiturus (*vel* habituri), si fideliter et utiliter impleveris (*vel* impleveritis) officium tuum, habebis (*vel* habebitis) partem cum his qui verbum Dei ministraverint. Eligunt te (*vel* vos) fratres tui (*vel* vestri), ut sis (*vel* sitis) lector (*vel* lectores) in domo Dei tui (*vel* vestri), et agnoscas (*vel* agnoscatis) officium tuum (*vel* vestrum), et impleas (*vel* impleatis) illud. Potens est enim Deus, ut augeat tibi (*vel* vobis) gratiam.

Benedictio Lectoris.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut super hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) N., quem (*vel* quos) in ordinem psalmistarum sive lectorum dignatur assumere, benedictionem suam clementer effundat. Quatenus distincte legat (*vel* legant) quæ in æcclesia legenda sunt, et eadem operibus impleat (*vel* impleant). Per.

Item alia.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) in officium lectoris (*vel* lectorum), ut assiduitate lectionum distinctus (*vel* distincti) atque ornatus (*vel* ornati), et agenda dicat (*vel* dicant), et

dicta opere conpleat (*vel* conpleant), et in utroque Sanctæ Æclesiæ consulat (*vel* consulant). Per.

Ordinatio Exorcistæ.

Exorcista (vel *exorcistæ*) *cum ordinatur* (vel *ordinantur*) *accipiat* (vel *accipiant*) *de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo.*

✠ Accipe (*vel* accipite) et commenda (*vel* commendate) memoriæ, et habeto (*vel* habetote) potestatem (*vel* potestates) imponendi manum (*vel* manus) super inerguminum (*vel* inerguminos), sive baptizatum (*vel* baptizatos), sive catæcuminum (*vel* catæcuminos.)

Præfatio Exorcistæ.

Deum Patrem Omnipotentem supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. benedicere. dignetur in officium exorcistæ, ut sit (*vel* sint) spiritalis imperator (*vel* spiritales imperatores) ad abiciendos demones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi: adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit.

Benedictio Exorcistæ.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. in officium exorcistæ (*vel* exorcistarum), ut per impositionem manuum et oris officium eum (*vel* eos) eligere digneris, ut imperium habeat (*vel* habeant) spiritus inmundos cohercendi, et probabilis (*vel* probabiles) sit (*vel* sint) medicus (*vel* medici) æcclesiæ tuæ, gratia curationum virtute confirmatus (*vel* confirmati). Per Dominum.

Ordinatio Accoliti.

Ceroferarium cereo, et urceoleum vacuum ad fundendum vinum. Accolitus (vel *accoliti*) *cum ordinatur* (vel *ordinantur*), *primum*

ab episcopo doceatur (vel *doceantur*) *qualiter in officio suo agere debeat* (vel *debeant*). *Sed ab archidiacono accipiat* (vel *accipiant*) *ceroferarrium cum cera, ut sciat* (vel *sciant*) *se ad accendenda æcclesiæ luminaria mancipari. Accipiat* (vel *accipiant*) *et urceolum vacuum ad fundendum vinum in Eucharistia corporis Christi.*

Benedictio.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque Passionis mysterio redemisti: benedicere dignare hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos), quem (*vel* quos) in accoliti officium consecramus, poscentes tuam clementiam, ut ejus mentem lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum ministerium, te auxiliante, peragat (*vel* peragant), qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereatur (*vel* mereantur). Per.

Sequitur alia.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum in hunc mundum lumen claritatis misisti, et in cruce Passionis tuæ triumpho sanguinem, et aquam ex latere tuo pro genere humano dignatus es effundere, et per apostolos tuos in hoc sæculo lumen gratiæ spiritalis misisti, ita benedicere digneris hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. in officio accoliti, ut ad accendendum claritatis æcclesiæ tuæ lumen, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum sanguinis tui misterium in offerendo Eucharistiam sanctis altaribus tuis fideliter subministret (*vel* subministrent). Accende, Domine, ejus (*vel* eorum) mentem, et cor ad amoris tui desiderium et gratiæ miserationis tuæ in eo (*vel* eis) virtutem confirma. Per.

Ad Subdiaconum ordinandum.

Subdiaconus (vel *subdiaconi*) *cum ordinatur* (vel *ordinantur*), *quia manus impositionem non accipit* (vel *accipiunt*), *patenam de manu episcopi accipiat* (vel *accipiant*) *vacuam, et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi accipiat* (vel *accipiant*) *urceolum cum aquamanili ac manutergium. Exhibeatur in conspectu episcopi*

patena et calix vacuus; et dicat episcopus subdiacono (vel *subdiaconibus*):

Vide (*vel* videte) cujus misterium tibi traditur, et ideo si usque nunc fuisti † tardus (*vel* tardi) ad æcclesiam, a modo debes (*vel* debetis) esse assiduus (*vel* assidui); si usque nunc somnolentus (*vel* somnolenti), a modo vigil (*vel* vigiles); si usque nunc ebriosus *vel* ebriosi), a modo sobrius (*vel* sobrii); si usque nunc inhonestus (*vel* inhonesti), a modo castus (*vel* casti). Oblationes quæ veniunt in altari (*vel* altare) panes propositionis appellantur, de ipsis oblationibus tantum debet in altari (*vel* altare) poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ vero quæ sunt in substratorio, in alio vase debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari, ipsa aqua in baptisterio debit vergi. Ideo te (*vel* eos) admoneo tu talem te (*vel* eos) exhibe (*vel* exhibete), ut Deo placere possis (*vel* possitis).

Et tradat ei (vel *eis*) *calicem et patenam et manipulam.*

Ordinatio Subdiaconi.

Oremus Deum et Dominum nostrum, ut super hunc famulum suum* (*vel* hos famulos suos), quem (*vel* quos) ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam, ut in conspectu suo fideliter serviens (*vel* servientes), prædestinata sanctis premia consequatur (*vel* consequantur): auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat Deus per omnia sæcula.

Benedictio Subdiaconi.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc (*vel* famulos tuos hos), quem (*vel* quos) ad subdiaconatus officium eligere dignatus es, uti eum (*vel* eos) sacrario tuo sancto strennuum sollicitumque (*vel* strennuos sollicitosque), cœlesti militiæ institues, et sanctis altaribus fideliter

* Scriptor primum posuerat "super servum suum," vice cujus postea inseruit "hunc famulum suum."

† MS. fuistis.

subministret (*vel* subministrent), et requiescat super eum (*vel* eos) spiritus sapientiæ et intellectus. *Resp.* Amen. Spiritus consilii et fortitudinis. *Resp.* Amen. Spiritus scientiæ et pietatis. *Resp.* Amen. Repleas eum (*vel* eos) spiritu timoris tui, et eum (*vel* eos) ministerio divino confirmes, ut obœdiens (*vel* obœdientes) facto atque dicto parens (*vel* parentes), tuam gratiam consequatur (*vel* consequantur). Per.

Incipit benedictio ad stolas vel planetas quando levitæ seu presbiteri ordinandi sunt, aut ordinati quidem esse repperiuntur.

Deus invictæ virtutis triumphator, et omnium rerum creator ac sanctificator, intende propitius preces nostras, et has stolas sive planetas leviticæ ac sacerdotalis glorie ministris tuis frequentandas tuo proprio ore benedicere, ac sanctificare, consecrareque digneris, omnesque eis utentes, tuisque misteriis a nobis indignis consecrandis aptos, et tibi in eis devote et amabiliter servientes, gratos efficere concedas, et nunc per infinita sæcula sæculorum.

Incipiunt orationes ad vestimenta sacerdotalia seu lævitica.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum pontificalia seu sacerdotalia atque levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, et ad decorem seu laudem nominis tui fieri decrevisti, adesto propitius invocationibus nostris, et hæc indumenta sacerdotalia famuli vel sacerdotis tui Ill. desuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium puri✠ficare, bene✠dicere, conse✠crareque digneris, ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant, his quoque sacris vestibus sacerdotes sive lævitæ tui induti, muniti, et defensi, ab omnibus inpulsionibus seu temptationibus malignorum spirituum tuti esse mereantur, tuisque mysteriis apte et condigne servire et inherere, atque in his placide et devote perseverare tribue, Salvator mundi qui vivis.

Domine Deus, Pater Omnipotens, Rex magnificus triumphator, qui sanctos patres nostros qui tibi in sacerdotali ordine placuerunt, diversi generis ornamenta et vestimenta sacerdotalia fieri et ornari sacerdotes tibi servientes jussisti, exaudi propitius orationem nostram, et hanc planetam famuli tui Ill., seu pudorem, albam, ac stolam, cingulum, orariumque dextera tua sancta benedicere, sanctificare, consecrareque, et purificare digneris. Quatenus hæc vestimenta ministris et levitis ac sacerdotibus tuis ad divinum cultum ornandum et explendum proficiant, sanctisque altaribus tuis mundi et ornati his sacris vestibus ministraturi inreprehensibiles, in actu et dictu internis externisque appareant, tibique soli Deo puro corde et mundo corpore omnibus diebus vitæ eorum inreprehensibiliter sanctorum patrum exempla sequentes servire valeant, hisque sacris mysteriis secundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cœlestis regni gloriam cum omnibus nobis sibique commissis percipere mereantur. Per.

Item alia.

Deus Omnipotens, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, et hæc vestimenta sacerdotalia seu levitica devoti famuli tui Ill., divinis cultibus atque ministris tuis preparata, virtute Sancti Spiritus bene✠dicere et sancti✠ficare digneris, et omnibus eis utentibus gratiam sanctificationibus sacri ministerii tui benignus concede, ut in conspectu tuo sancti et inmaculati atque inreprehensibiles appareant, et tuæ auxilium misericordiæ atquirant, sed et aliis bene ministrandi et vivendi exemplum prebeant, atque æterne beatitudinis premia consequi mereantur. Per.

Postea inponas stolam super collum levite dicens: Jugum enim suave est, et onus meum leve.

Post oratio.

In nomine sanctæ Trinitatis et unicæ divinitatis accipe stolam quam tibi Dominus per humilitatis nostræ famulatum, seu per manus nostras accipiendam præparavit, per quam scias sarcinam Domini Dei tui cervicibus tuis inpositam, et ad humilitatem atque ministrationem te esse conexum, et per quam te cognoscant

fratres tui ministrum Dei esse ordinatum, ut qui in diaconatus ministerio es constitutus, lævitice bene ✠ dictionis ordine clarescas, et spiritali conversatione prefulgens gratia sanctificationis eluceas: sed et in Christo Jesu firmus et stabilis perseveres, quatenus hoc quod per hanc stolam significatur in die districti judicii ante tribunal Domini sine macula representare valeas: ipso auxiliante, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Incipit sermo Innocentii Papæ de vij. gradibus Æcclesie ordinandis.

Hæc autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia æcclesiasticis ministeriis nostra didicerit exempla, et inter lectores usque in vicesimum annum continuata observatione perduraverit. Exinde si majori ætati jam accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divino cultui mancipare desiderat, et sive inter lectores sive in exorcistas quinque annis teneatur. Et tunc catholicus vel subdiaconus quatuor annis fit, et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat. In quo ordine quinque annis si inculpabiliter vixerit, herere debet, ut melius inveniat. Exinde, suffragantibus meritis, si acutior vita illum ad bonos mores perduxerit, summum pontificatum sperare debebit, hac tamen lege servata, neque bigamus, neque revertens, sive pœnitens a maximis criminibus ad hos gradus possit admitti; alioquin defensores æcclesiæ qui ex laicis fuint unius uxoris viri, per tot grados datis proprie fidei documentis, si in supradicta observatione teneantur, et si vita et moribus et scientia scripturarum meruerint, in ordine clericatus admittere debent.

Deinde donet ei manipulam.

Ad ordinandum Diaconum.

Diaconus cum ordinatur, circumdetur (vel *circumdentur*) *ejus humerus sinister* (vel *eorum humeri sinistri*) *cum stola ab episcopo, et tradat ei* (vel *eis*) *sanctum Evangelium, et dicat sibi* (vel *illis*): ✠Accipe (*vel* accipite) istud volumen Evangelii, et lege (*vel* legite), et intellege (*vel* intellegite), et aliis trade (*vel* tradite), et tu (*vel* vos) opere adimple.

Deinde solus episcopus, qui eum (vel *eos*) *benedicit, manus super*

caput illius (vel *illorum*) *ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur* (vel *consecrantur*).

Benedictio ejusdem.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut super hunc famulum suum (*vel* hos famulos suos) Ill., quem (*vel* quos) in sacrum ordinem diaconatus officii dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eique (*vel* eisque) donum consecrationis propitius indulgeat, et preces nostras clementer exaudiat, ut suo eum (*vel* eos) prosequatur auxilio, et sua potius electione justificet, per quod eum (*vel* eos) ad premia æterna perducat: auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo.

Alia benedictio Diaconi sive Diaconissæ.

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditatus (*vel* ditati), et tuæ gratiam possit (*vel* possint) majestatis adquirere, et bene vivendi aliis exemplum prebere. Per.

CONSECRATIO DIACONI.

Adesto, quæsumus, Omnipotens Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor, qui in te manens innovans omnia, et cuncta disponis, per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et in singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus æcclesiam tuam cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens. Electis ab initio Levi filiis, qui misticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hereditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hunc (*vel* hos)

quoque famulum tuum (*vel* famulos tuos) Ill., quæsumus, Domine, placatus intende, quem (*vel* quos) tuis sacrariis serviturum in officium diaconi suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines divini sensus, et summe rationis ignari, hujus (*vel* horum) vitam quantum possumus æstimamus. Te, autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor secretorum, tu scrutator es cordium, tu ejus (*vel* eorum) vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales et amissa purgare, et ea quæ sunt agenda concedere. Emitte in eum (*vel* eos), Domine, quæsumus, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii fideliter exequendi, septiformis gratiæ munere roboretur (*vel* roborentur); habundet in eo (*vel* eis) totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritalis observatio disciplinæ: in moribus ejus (*vel* eorum) præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sancte plebis adquirat (*vel* adquirant), et bonum conscientiæ testimonium præferens, in Christo firmus (*vel* firmi) et stabilis perseveret (*vel* stabiles perseverent), dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur (*vel* mereantur). Per.

Item collecta ad conservandum diaconatus officii.

Commune votum, communis oratio prosequatur, et hic (*vel* hi) totius æcclesiæ prece, qui in diaconatus officii ministerio preparatur (*vel* preparantur), leviticæ benedictionis ordine clarescat (*vel* clarescant), et spiritali conversatione prefulgens, gratia sanctificationis eluceat (*vel* eluceant). Per.

Sequitur benedictio.

Domine sancte, spei, fidei, gratiæ, et profectuum munerator, qui in cœlestibus et terrenis angelorum ministeriis ubique dispositis per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum: hunc (*vel* hos) quoque famulum tuum (*vel* famulos tuos) Ill. speciali illustrare digneris affectu, ut tuis obsequiis expeditus (*vel* expediti), sanctis altaribus minister tuus purus adcrescat (*vel* ministri tui puri adcrescant), et indulgentia purior, eorum gradu, quos apostoli tui in septenario numero, beato Stephano duce ac prævio, Sancto Spiritu auctore, elegerunt, dignus existat (*vel* digni exis-

tant), et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructus conplaceat (*vel* instructi conplaceant).

Consecratio manuum Diaconi de oleo sancto et chrisma.

Consecrentur manus iste, quæsumus Domine, et sanctificentur per istam unctionem, nostramque benedictionem, ut quæcumque benedixerint benedicta sint, et quæcumque sanctificaverint sanctificata sint. Per.

Ad ordinandos Presbiteros.

Presbiter (vel *presbiteri*) *cum ordinatur* (vel *ordinantur*), *circumdentur humeri ejus* (vel *eorum*) *cum stola ab episcopo. Et ibidem tuteletur* (vel *tutelentur*) *specialiter ad qualem æcclesiam debeat* (vel *debeant*) *ministrare. Et benedicente eum* (vel *eos*) *episcopo, manus super caput ejus* (vel *eorum*) *teneat. Similiter et presbiteri, qui presentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius* (vel *illorum*) *teneant.*

Quando datur stola Presbitero.

Stolam justitiæ circumdet Dominus cervicem tuam, et ab omni corruptione peccati purificet Dominus mentem tuam.

Item oratio ad Presbiterum ordinandum.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut super hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill., quem (*vel* quos) ad presbiterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, et qui eum (eos) dignatione suscipit, eum (eos) exsequatur auxilio. Per.

Alia oratio.

Exaudi nos, quæsumus Domine, Deus salutaris noster, et super hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. benedictionem Sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis effunde virtutem: ut quem (*vel* quos) tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per.

Consecratio Presbiteri.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, honorum auctor, et distributor omnium dignitatum, que tibi militant, per quem proficiant universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et sacerdotales gradus, atque officia levitarum, sacramentis mysticis instituta creverunt, ut cum pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, sequentis ordinis viros et secunde dignitatis eligeres. Sic in heremo per lxx^ta^ virorum prudentium mentem, Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleadzaro et Ithamar filiis Aaron, paternæ plenitudinis habundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares, et frequentioris officii sacramenta, ministerium sufficeret sacerdotum: hac providentia, Domine, apostolis Filii tui, doctores fidei, comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine quæsumus, hæc adjumenta largire, quia quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus Omnipotens Pater, in hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill. presbiterii dignitatem, innova in visceribus ejus (*vel* eorum) spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat (*vel* obtineant), censuramque morum exemplo suæ (*vel* suorum) conversationis insinuet (*vel* insinuent). Sit providus cooperator (*vel* sint providi cooperatores) ordinis nostri, eluceat in eo (*vel* eis) totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ redditurus (*vel* reddituri), æterne beatitudinis premia consequatur (*vel* consequantur). Per.

Item oratio.

Sit nobis, fratres, communis oratio, ut his (*vel* hi), qui in adjutorium et utilitatem vestræ salutis eligitur (*vel* eliguntur), presbiteratus benedictionem divinæ indulgentiæ munere consequatur (*vel* consequantur), ut Sancti Spiritus sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne inpar loco deprehendatur (*vel* deprehendantur), obtineat (*vel* obtineant). Per.

Item benedictio ejusdem.

Deus, sanctificationum omnium auctor, cujus vero consecratio plena benedictio est, tu, Domine, super hunc famulum tuum (*vel* hos famulos tuos) Ill., quem (*vel* quos) ad presbiterii honorem dedicamus, manum tuæ benedictionis infunde: ut gravitate actuum, et censura vivendi probet (*vel* probent) se esse seniorem (*vel* seniores), his institutis disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit, ut in lege tua, die et nocte, omnipotens meditans (*vel* meditantes), quod legerit (*vel* legerint) credat (*vel* credant), quod crediderit (*vel* crediderint) doceat (*vel* doceant), quod docuerit (*vel* docuerint) imitetur (*vel* imitentur): justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, in se (*vel* illis) ostendat (*vel* ostendant), exemplum probet (*vel* probent), ammonitionem confirmet, ut purum atque immaculatum (*vel* puri atque immaculati) ministerii tui donam (*vel* dona) custodiat (*vel* custodiant): et per obsequium plebis tuæ, corpus et sanguinem Filii tui immaculati transformet (*vel* transforment), et inviolabilem caritatem, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die justitiæ æterni judicii, conscientia pura, fide plena, Spiritu Sancto plenus persolvat (*vel* pleni persolvant). Per eundem Dominum.

Hic vestes eum casula.

Induet te Dominus vestimento salutis, et coronam lætitiæ ponat super caput tuum.

Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te (*vel* vos), et sis (*vel* sitis) benedictus (*vel* benedicti) in ordine sacerdotali; et offeras (*vel* offeratis) placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi Omnipotenti Deo, cui est honor et gloria.

Item alia si vis dicere.

Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te (*vel* vos), et hac sacerdotali veste indutus, protectus, et munitus (*vel* induti, protecti, et muniti), esse valeas (*vel* valeatis) ab omnibus inpugnationibus malignorum spirituum, et sis benedictus, et offeras hostias placabiles pro peccatis atque offensionibus Omnipotenti Deo, cui est honor et gloria.

Consecratio manus.

Benedic, Domine, et sanctifica has manus sacerdotis tui Ill. ad consecrandas hostias, quæ pro delictis atque neglegentiis populi offeruntur, et ad cetera benedicenda quæ ad usus populi necessaria sunt: et presta, quæsumus, ut quæcumque benedixerint, benedicentur, et quecumque sacraverint, sacrentur, Salvator mundi, qui vivis et regnas.

Faciens crucem sanctam de chrismate in manibus ejus (vel *eorum*), *et dicis:*

Consecrentur manus istæ, quæsumus Domine, et sanctificentur: per istam sanctam unctionem et nostram invocationem, adque divinam benedictionem, ut quodquod benedixerint, sit benedictum, et quodquod sanctificaverint, sit sanctificatum. Per.

Consecratio capitis oleo.

Unguatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine sacerdotali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Pax tibi.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Item orationes ad missam pro ipsis in die ordinationis vel consecrationis eorum.

Exaudi, Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi, ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis exhibeamus officiis. Per.

Super oblata.

Tuis semper, Domine quæsumus, operare mysteriis, ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per.

Prefatio.

Vere dignum. Qui rationabilem creaturam, ne temporalibus dedita bonis ad premia sempiterna non tendat, ea dispensatione

dignaris erudire, ut nec castigatione deficiat (*vel* deficiant), nec prosperitatibus insolescat, sed hoc potius faciat ejus gloriosa devotio, quo nullis adversitatibus obruta superetur. Per Christum.

In fractionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad presbiterii vel diaconatus gradus promovere dignatus es, quæsumus Domine, placatus suscipias, et quod eis divino munere contulisti, propitius tua dono custodi. Per.

Postcommunio.

Hos, quos reficis, Domine, sacramentis, attolle benignus auxiliis, ut tuæ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per.

Super populum.

Da, quæsumus Domine, populis Christianis, et quod profitentur agnoscere, et cœleste munus diligere quod frequentant. Per.

In ordinatione Presbiteri.

Deus, qui digne tibi servientium nos imitari desideras famulatum, da nobis caritatis tuæ flammam ardere succensis, ut antistitum de cujus priorum qui tibi placuerunt, mereamur consortia obtinere. Per.

Super oblata.

Aufer a nobis, Domine, spiritum superbiæ, cui resistis, ut sacrificia nostra tibi sint semper accepta. Per.

Prefatio.

Vere dignum et justum est. Qui, dissimulatis peccatis humane fragilitatis, nobis indignis sacerdotalem confers dignitatem, da nobis, quæsumus, ut ad sacrosancta mysteria immolando sacrificia cum bene placitis mentibus facias introire: quia tu solus sine operibus aptis justificas peccatores, tu gratiam præstas benignus ingratis, tu ea quæ* retro sunt oblivisci concedis, et ad priora promissa mysteria clementissime gubernatione perducis. Et ideo.

* *In MS.* tuæ quem.

Ad complendum.

Corporis sacri et prætiosi sanguinis repleti libamine quæsumus, Domine Deus noster, ut gratiæ tuæ munus, quod nobis inmeritis contulisti, intercedente beato Ill., propitius muniendo custodias. Per.

Missa in ordinatione Diaconi.

Ad preces nostras quæsumus, Domine, propitiatus intende, et levitæ tuis sacris altaribus serviens (*vel* servientes), et fidei veritate fundatis, et mente sit spiritali conspicuus.

Super oblata.

Suscipe, quæsumus Domine, hostias levitæ tui N, quibus mentium integritates tuo, Domine, consecratas, et terrenis contagiis expiari, et cœlestibus contulisti propinquare consortes. Per.

Presta, quæsumus Domine, ut nostræ gaudeamus perfectionis augmento, et de congruo Sacramenti Paschalis obsequio. Per.

Incipit ratio qualiter domus Dei consecrandus est, et ad nuntiandum populo, ut ibi occurrant, qua die episcopus in ebdomada hoc facere voluerit.

Dilectissimi fratres, inter cetera virtutum sollempnia quæ ad gloriam pertinent Christi Domini nostri, hoc quoque suis præstitit sanctis omnibus, qui pro nominis ejus confessione, morte suscepta, cœlestia præmia meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris reliquiis conlocatis integritas sancti corporis esse credatur. Et ideo commonemus dilectionem vestram, quoniam illa feria, vel illo loco, æcclesia est ibi dedicanda, et reliquiæ illius sancti martiris (*vel* illorum sanctorum martirum) collocandæ, quæsumus ut vestram presentiam, nobis ammonentibus, ea die non negetis.

Inde vero pridie quam consecretur æcclesia, previdendæ sunt reliquiæ ab episcopo, et ponendæ in tali loco, ut tota nocte cum hymnis et laudibus atque luminaribus sint usque quo exinde levandæ, et ad locum ubi condendæ sunt deducantur.

Ordo quomodo æcclesia debeat dedicari.

Primitius enim decet, ut episcopus et ceteri ministri æcclesiæ induant se vestimentis sacris, cum quibus divinum mysterium adimplere debent, et venientes ante ostium æcclesiæ, quæ dedicanda est, illuminentur duodecim candelæ, et ponantur de foris per circuitum æcclesiæ.

Postea Collecta.

Collecta. Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando preveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio a te semper incipiant, et per te cepta finiantur. Per.

Antiphona. Zache festina descende quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domo suo. Hodie huic domui salus a Domino facta est. Alleluia.

In circuitu æcclesiæ.

Incipiunt lætania.

Kyrie eleison.
iii. Christe eleison.
iii. Christe audi nos.

Sancta Maria:	ora.
Sancte Michael:	ora.
Sancte Gabriel:	ora.
Sancte Raphael:	ora.
Omnes sancti Angeli:	orate.
Sancte Petre:	ora.
Sancte Paule:	ora.
Sancte Andrea:	ora.
Sancte Jacobe:	ora.
Sancte Johanne:	ora.
Sancte Thoma:	ora.
Sancte Philippe:	ora.
Sancte Bartholomæe:	ora.
Sancte Mathæe:	ora.
Sancte Simon:	ora.
Sancte Tadæe:	ora.

Sancte Luca: ora.
Sancte Marce: ora.
Omnes sancti Apostoli: orate.
Sancte Stephane: ora.
Sancte Line: ora.
Sancte Clete: ora.
Sancte Clemens: ora.
Sancte Syxte: ora.
Sancte Corneli: ora.
Sancte Cypriane: ora.
Sancte Dionisii: ora.
Sancte Laurenti: ora.
Sancte Mauricii: ora.
Sancte Juste: ora.
Sancte Valeriane: ora.
Sancte Georgii: ora.
Sancte Cristofere: ora.
Sancte Sebastiane: ora.
Sancte Fabiane: ora.
Sancte Johannes: ora.
Sancte Paule: ora.
Sancte Cosmas: ora.
Sancte Damiane: ora.
Sancte Marcelle: ora.
Sancte Urbane: ora.
Sancte Cœleste: ora.
Sancte Valentine: ora.
Sancte Panchrate: ora.
Sancte Vincenti: ora.
Omnes sancti Martires: orate.
Sancte Hilarii: ora.
Sancte Martine: ora.
Sancte Silvester: ora.
Sancte Leo: ora.
Sancte Ambrosii: ora.
Sancte Gregorii: ora.
Sancte Remei: ora.
Sancte Germane: ora.

Sancte Amande: ora.
Sancte Cuthberhte: ora.
Sancte Hieronime: ora.
Sancte Benedicte: ora.
Sancte Vigor: ora.
Sancte Paterne: ora.
Sancte Guthlaci: ora.
Sancte Agustine: ora.
Sancte Athanasii: ora.
Sancte Eusebii: ora.
Sancte Isidore: ora.
Sancte Audomare: ora.
Sancte Bertine: ora.
Sancte Germane: ora.
Sancte Medarde: ora.
Sancte Vedaste: ora.
Sancte Pauline: ora.
Omnes sancti Confessores: orate.
Sancta Perpetua: ora.
Sancta Petronella: ora.
Sancta Felicitas: ora.
Sancta Agatha: ora.
Sancta Lucia: ora.
Sancta Cæcilia: ora.
Sancta Agnes: ora.
Sancta Anastasia: ora.
Sancta Eufemia: ora.
Sancta Susanna: ora.
Sancta Brigida: ora.
Sancta Columba: ora.
Sancta Cristina: ora.
Sancta Julitta: ora.
Sancta Tecla: ora.
Sancta Juliana: ora.
Sancta Savina: ora.
Sancta Praxidis: ora.
Sancta Justina: ora.
Sancta Regina: ora.

Sancta Potentiana: ora.
Sancta Sotheris: ora.
Omnes sanctæ Virgines: orate pro nobis.
Omnes Sancti: orate.
Propitius esto: parce nobis, Domine.
Propitius esto: libera nos, Domine.
Ab hoste malo: libera nos, Domine.
A periculo mortis: libera nos, Domine.
Ab omni malo: libera clementer.
Per cru✠cem tuam: libera clementer.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones.
Te rogamus audi nos.
Ut aerem salubrem nobis dones.
Te rogamus.
Ut fructum terræ nobis dones.
Te rogamus.
Ut domnum apostolicum in sancta religione conservare digneris.
Te rogamus audi nos.
Ut regem nostrum cum exercitibus suis conservare digneris.
Te rogamus audi nos.
Ut cuncto populo Christiano pacem et unanimitatem largire digneris.
Te rogamus audi.
Ut congregationem istam in sancta religione conservare digneris.
Te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.
Christe audi nos. iii.
Christe eleison.

Ingrediens vero unus ex diaconibus infra æcclesiam, et claudens ostium stans ante ipsum, ceteri omnes pro foribus remaneant. Tunc pontifex accedens ad ostium æcclesiæ, percutiens ter superliminare de cambutta sua aut baculo, dicens.

Tollite portas principes vestras, et elevamini porte æternales, et introibit Rex gloriæ.

Respondeat ille minister infra stans.

Quis est Rex gloriæ?

Et iterum dicat episcopus.

Tollite portas principes vestras, *ut supra.*

Et minister deintus respondeat.

Qui est iste Rex æcclesiæ?

Iterum tertio percutiat episcopus super ostium, et dicat.

Tollite portas principes vestras, *ut supra.*

Et minister deintus respondeat.

Quis est Rex gloriæ?

Et respondebunt omnes.

Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.

Inde vero percutiat episcopus ostium æcclesiæ, et canendo incipiat:

Ant. Tollite portas principes vestras, et elevamini porte æternales.

Et statim aperiatur ostium.

Scola vero versificet totum psalmum cum ipsa antifona ante ostium foris. Qua expleta, dicit episcopus hanc orationem.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domum tuam, quæsumus Domine, clementer ingredere, et in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam constitue mansionem, ut cujus ædificatione subsistit hujus fiat habitatione præclara. Per.

Tunc ingrediuntur omnes in ecclesiam, et intrantes dicunt :

Ant. Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Pax ingredientibus et regredientibus. Alleluia.

Et perveniunt cum episcopo usque ad medium solum æcclesiæ, et dicit episcopus :

Oremus.

Et diaconus : Flectamus genua.

Et post paululum dicit : Levate.

Et pontifex :

Deus, qui invisibiliter omnia contines, et tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, templum

hoc potentiæ tuæ habitatione illustra, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque ad te tribulatione clamaverunt, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per.

Ant. Benedic, Domine, domum istam, et omnes habitantes in ea, quia tu Domine, dixisti: Pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te, pusilli cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.

Iterum: Flectamus genua.

Tabernaculum hoc ingredere, quæsumus Omnipotens sempiterne Deus, et famulos famulasque tuos congregatos ad honorem et laudem tuam Beatæ Mariæ sacræ Virginis, et Ill., benedic. Et sicut benedicere dignatus es domus patriarcharum Abraham, Isaac, et Jacob, pusillos cum magnis, ita benedicere et sanctificare eos easque dignare. Per.

Deinde incipit clerus letaniam, et cum venerit ante altare, pontifex et sacerdotes atque levitæ prosternunt se super stramenta usque dum dicunt Agnus Dei. *Ut autem surrexerint ab oratione, non dicit pontifex,* Dominus vobiscum, *sed tantum inchoat, et dicit* Oremus: *et diaconus ut supra,* Flectamus genua: *et iterum* Levate.

Sequitur oratio.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Domine miserere.
Christe miserere.
Miserere nobis pie Rex, Domine Jesu Christe.
Christe audi nos. iii.

Sancta Maria:	ora.
Sancte Michel:	ora.
Sancte Gabriel:	ora.
Omnis chorus angelorum:	ora pro nobis.
Sancte Petre:	ora.
Sancte Paule:	ora.
Sancte Andrea:	ora.
Omnis chorus apostolorum:	ora pro nobis.
Sancte Stephane:	ora.
Sancte Line:	ora.
Sancte Clete:	ora.
Omnis chorus martyrum:	ora pro nobis.

Sancte Hilari: ora.
Sancte Martine: ora.
Sancte Silvester: ora.
Omnis chorus confessorum: ora pro nobis.
Sancta Perpetua: ora.
Sancta Felicitas: ora.
Sancta Agatha: ora.
Omnis chorus virginum: ora pro nobis.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Domine miserere, miserere nobis.
Christe audi nos. iii.
Ab inimicis nostris defende nos Christe.
Dolorem cordis nostri benignus vide.
Afflictionem nostram respice clemens.
Peccata populi tui pius indulge.
Orationes nostras exaudi Christe.
Hic et in perpetuum nos custodire digneris Christe.
Fili Dei vivi miserere nobis.
Agnus Dei.
Exaudi nos Christe.
Exaudi, exaudi nos Christe.
Christe audi nos. iii.
Kyrie eleison.
Christe eleison, *ut supra.*
Ut autem supra.

Oratio.

Magnificare, Domine Deus noster, in sanctis tuis, et hoc in templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hereditate lauderis. Per Dominum.

Deinde incipit pontifex de sinistro ab oriente, scribens per pavimentum cum cambutta sua A. B. C. *darium usque in dextro angulo occidentalis, et a dextro angulo orientali scribat similiter* A. B. C. *darium usque in sinistro angulo basilice occidentalis.*

Deinde veniens ad altare dicat:

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina: *cum* Gloria *absque* Alleluia.

Deinde vero benedicit salem, aquam, et dicat:

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris Omnipotentis, et in caritate Jesu Christi Domini nostri, et in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum qui te ad tutelam generis humani procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari precepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad effugandum inimicum; quam creaturam salis tu, Domine, sanctificando sanctifices, et benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Item exorcismus salis.

Exorcizo te, creatura salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum qui te per Eliseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aque, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus te sumentibus sanitas animæ et corporis, et effugiat atque discedat ab eo loco quo aspersus fueris omnis fantasia, et nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus inmundus, adjuratus per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Benedictio salis.

Inmensam clementiam tuam, Omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis quam in usum generis humani tribuisti, bene✠dicere et sancti✠ficare pro tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; et quicquid eo tactum vel respersum fuerit, careat omni inmunditia, omnique inpugnatione spiritalis nequitiæ. Per.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris Omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, et Spiritus Sancti, ut

omnis virtus adversarii, et omnis incursio diaboli, omne fantasma, omnisque inimici potestas, eradicare et effugare ab hac creatura aquæ. Unde exorcizo te, creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, et per Dominum nostrum Jesum Christum, ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, ut ubicumque effusa fueris vel aspersa, sive in domo sive in agro, effuges omnem fantasiam, omnemque inimici potestatem, quatenus consecratio hujus sanctæ aquæ proficiat ad dedicationem hujus æcclesiæ (*vel* cujuscumque rei quam devotio fidelium dedicare voluerit), ut per eam, et per benedictionem divinam, auxiliante Domino, sive per os et per manus, atque officium nostrum, hæc domus Domini Dei nostri divinitus (*vel* ea divinitus) per gratiam Spiritus Sancti consecretur (*vel* consecrentur), et perpetualiter ad invocandum nomen Domini consecrata permaneat (*vel* et perpetualiter consecrata permaneant), et Spiritus Sanctus habitet in domo hac. Per.

Benedictio aque.

Deus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura mysteriis tuis tibi serviens ad abiciendos demones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, et si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aque effugiat, ut salubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit inpugnationibus defensa. Per.

Benedictio cinerum.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus, et mitte sanctum angelum tuum de cœlis, qui benedicat et sanctificet cineres istos, ut sint remedium salubre omnibus nomen tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, atque in conspectu divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus. Presta, quæsu-

mus, per invocationem nominis tui, ut quicumque eos super se asperserunt pro redemptione peccatorum, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per.

Post hoc miscetur sal et cinis, faciens crucem ter super ipsam aquam, et dicat hanc orationem.

Deus, invicte virtutis auctor, et inseparabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sevitiam superas, qui hostiles nequitias potens expugnas: te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter accipias, benignus inlustres, pietatis tuæ more sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio inmundi spiritus abiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et presentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per.

Deinde misceatur vinum cum aqua, et dicat hanc orationem.

Deus creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æterne salutis: tu, Domine, mitte Spiritum Sanctum tuum super vinum hoc cum aqua mixtum, ut armatum virtute cœlestis defensionis ad consecrationem hujus æcclesiæ vel altaris proficiat. Per. (*vel* omnium rerum que consecrare voluerit devotio fidelium proficiat. Per.)

Inde vero faciens crucem cum digito suo de ipsa aqua a dextera parte, incipiens per iiij[or] *cornua altaris, inde aspargens altare cum ysopo, ambulans in circuitu vij vicibus de ipsa aqua, canendo antifonam.*

Ant. Asparges me, Domine, ysopo, et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor. *Cum Psalmo L*[mo] Miserere mei Deus secundum magnam.

Benedictionem hanc super altare.

Domine Sancte, Pater clemens, cujus nec initium nec finis advertitur, qui tantus es quantus esse voluisti, scilicet sanctus atque mirabilis Deus, quem elementa non capiunt: te benedicimus, te supplices deprecamur, ut sit tibi altare hoc, sicut illud quod Abel salutaris mysterii sacramentum in passione præcursor, jugulatus a fratre, novo sanguine imbuit et sacravit. Sit (*vel* sint) tibi, Domine, altare hoc (*vel* altaria hæc) sicut illud quod

Abraham, pater noster, quia videre te meruit, fabricavit, in quo sacerdos Melchisedec sacrificii formam triumphalis expressit. Sit (*vel* sint) tibi, Domine, altare hoc (*vel* altaria hæc) sicut illud quod Abraham seminarium fidei nostræ Isaac filium suum, dum tibi toto corde credidit, imposuit, in quo salutaris mysterii sacramentum dominicæ passionis ostensum est, dum offertur filius, et agnus occiditur. Sit (*vel* sint) tibi, Domine, altare hoc (*vel* altaria hæc) sicut illud quod Isaac puteum profundæ puritatis inveniens, habundantiæ ei nomen inponens, tuæ majestati dicavit. Sint (*vel* sit) tibi, Domine, altare hoc (*vel* altaria hæc) sicut ille lapis, quem Jacob subtexit capiti suo, et ascendentes et descendentes angelos per scalæ mysterium, somno relevante, cognovit. Sit (*vel* sint) tibi, Domine, altare hoc (*vel* altaria hæc) sicut illud quod Moyses, susceptis mandatis tuis, in præfiguratione apostolica xij. lapidum constructione firmavit. Sit (*vel* sint) tibi, Domine, altare hoc (*vel* altaria hæc) sicut illud quod Moyses vij. dierum purificatione mundavit, et cœlesti tuo alloquio, sanctum vocavit, sicut locutus es ad Moysen, dicens: Si quis tetigerit altare hoc (*vel* altaria hæc) sanctificatus habeâtur. In his (*vel* hoc) ergo altare (*vel* altaribus) juguletur luxuria, omnisque libido feriatur, offeratur pro turturibus sacrificium castitatis, pro pullis columbarum innocentiæ sacrificium. Per.

Deinde incipiens de dextra parietis spargere cum ysopo de ipsa aqua in circuitu usque dum veniens ante altare.

Ant. Asparges me, Domine, ysopo et mundabor. *Cum Psalmo*, Miserere mei, Deus.

Iterum desuper, et in circuitu altaris vel æcclesiæ canendo:

Ant. Exurgat Deus, et nostri famulatus obsequio in loco sancto ejus fiat benedictionis augmentum. *Cum ipso Psalmo, usque dum veniens iterum ante altare, et spargens desuper, et in circuitu altaris, vel parietes æcclesiæ canendo:*

Ant. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: *cum ipso Psalmo.*

Deinde pergat extra æcclesiam, cum omni scola, spargendo ter per parietes in circuitu, et desuper, canendo:

Ant. Asparges me, Domine. *Tribus vicibus*, Miserere mei, Deus.

Item pontifex vadat de ipso altare spargendo per medium æcclesie in longum et in latum, similiter cru✠cem faciendo sive per omnem pavimentum de ipsa aqua.

Ant. Fundamenta templi hujus sapientiæ suæ fundavit Deus, in quo Domino cœli conlaudant angeli, sic ruant venti, et pluant flumina, non possunt ea movere umquam, fundata enim erat supra petram.

Item, Flectamus genua.

Deus sanctificationum Omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur: Deus qui cœlestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, exaudi preces servorum tuorum, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte: hancque basilicam in honore sancti tui N., sacris mysteriis institutam, clementissime dedica, miserator illustra, proprio splendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte, propitius dignare respicere, et propter nomen tuum magnum, et manum fortem, et brachium excelsum, in hoc habitaculo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva, ut semper felices semperque in tua religione lætantes, constanter in sanctæ Trinitatis fide Catholica perseverent. Per.

Ant. Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo, et venientes in loco isto: exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ.

Ant. Domus mea domus orationis vocabitur. Narrabo nomen tuum.

Deinde veniens in medio æcclesie dicit: Oremus.

Diaconus dicit: Flectamus genua: *Et post paululum dicit:* Levate. *Et ille dicit orationem hanc.*

Deus, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic invocantibus te auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per.

Prefatio in medio æcclesie.

Sursum corda.

Habemus ad Dominium.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Dignum et justum est.

Et sacerdos.

Vere dignum, æterne Deus. Adesto precibus nostris, adesto sacramentis, adesto etiam piis famulorum tuorum laboribus, nobisque misericordiam tuam poscentibus. Descendat quoque in hanc æcclesiam tuam, quam tibi invocatione sancti nominis tui, in honore sancti Ill., indigni consecramus, Sanctus Spiritus tuus septiformis gratiæ ubertate perfusus: ut quotienscumque in hac domo tua sanctum tuum nomen fuerit invocatum, eorum qui te invocaverint a te pio dono preces exaudiantur. O beata sancta Trinitas, que omnia purificas, omnia mundas, omnia exornas: O beata Majestas Dei, quæ cuncta imples, cuncta contines, cunctaque disponis: O beata et sancta manus Domini, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia sacrificas: O sancte sanctorum Deus, tuam clementiam humillima devotione deposcimus, ut hanc æcclesiam per nostræ humilitatis famulatum in honore sancti martyris tui Ill., purificare, benedicere, consecrareque digneris perpetua sanctificationis tuæ ubertate. Hic quoque sacerdotes sacrificium tibi laudis offerant, hic fideles populi vota persolvant, hic peccatorum onera solvantur, fideliumque lapsa reparentur. In hac, ergo, quæsumus, Domine, domo tua Spiritus Sancti gratia egroti sanentur, infirmi restituantur, claudi curentur, leprosi mundentur, ceci inluminentur, demonia eiciantur: cunctorum ergo debilium egrotationes, te, Domine, annuente, pellantur, omnium etiam vincula peccatorum absolvantur, ut omnes qui in hoc templum beneficia justa deprecaturi ingrediuntur, cuncta se impetrasse lætentur, ut concessa misericordia quam precamur, perpetuo miserationis tuæ munere gloriemur. Per Dominum nostrum.

Ipsa expleta, incipit antifonam.

Ant. Introibo ad altare Dei mei, ad Dominum qui letificat juventutem meam. *Ipso canendo, cum Psalmo:* Judica me, Deus, et discerne. *Vadit ante altare, et fundit quod remansit de ipsa aqua benedicta ad bassem altaris, et extergit altare linteo. Postea offerat incensum, et mittit oleum super altare, in medio crucem faciens ibi.*

Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens

oleum desuper, votum vovit Domino: Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Et super iiij cornua altaris canendo antifonam :

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper, *cum Psalmo :* Quam dilecta.

Et unguat cum manu sua ipsum lapidem, et semper incensum in circuitu ipsius altaris alius sacerdos ferat. Post, expleto Psalmo, mittit iterum oleum similiter sicut prius, canendo :

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum : hæc est domus Dei, in qua invocetur nomen ejus, de qua scriptum est : Erit nomen meum ibi, dicit Dominus. Deus noster refugium.

Ipso expleto, mittit chrismam similiter canendo :

Ant. Ecce odor filii mei sicut odor agri quem benedixit Dominus.

Psalmus. Fundamenta ejus.

Deinde in circuitu æcclesiæ per parietes de dextra in dextro faciens crucem cum pollice de ipso chrismate ; et veniens ante altare, faciat crucem incensi cum turribulo super eam.

Ant. O quam metuendus est locus iste, vere non est hic alius nisi domus Dei, et porta cœli.

Deinde dicit : Oremus.

Et diaconus ut supra.

Et dicit orationem sive benedictionem hanc super altare.

Dei Patris Omnipotentis misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur, ut hoc altare (*vel* hæc altaria) sacrificiis spiritalibus consecrandum, vocis nostræ exornandum officio presenti benedictione sanctificet, ut in eo (*vel* eis) semper oblationes famulorum famularumque suarum studiosa devotione impositas benedicere et sanctificare dignetur, et spiritali placatus incenso, precanti familiæ suæ promptus exauditor adsistat. Per.

Item dicit pontifex : Oremus.

Et diaconus ut supra.

Sequitur benedictio vel consecratio altaris.

Deus Omnipotens, in cujus honore hoc altare (*vel* hæc altaria) sub invocatione tui nominis consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi ; et presta, ut in hac (*vel* his)

mensa sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, et Spiritus Sancti tui semper rore perfusa (*vel* perfuse); ut omni tempore in hoc loco (*vel* his locis) supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per.

Prefatio super altare.

Sursum corda.
Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.
Dignum et justum est.

Vere dignum, æterne Deus. Ut propensiori cura, et attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus, hoc presertim in tempore, quo religiosarum mentium habiturum reverentiam altare dedicamus. Dignare igitur, dominator Domine, hoc, quæsumus, altare cœlesti sanctificatione perfundere et benedicere, ut Sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit illius quoque aput te gratiæ, cujus fuit illud quod Abraham, pater fidei nostræ, filium immolaturus exstruxit, quod Isaac in conspectu tuæ Majestatis instituit, quod Jacob Dominum magna videns visione erexit : ut hic orantes exaudias, hic oblata sanctifices, hicque superposita benedicas, hic quippe benedicta distribuas. Sit ergo ecclesiæ tuæ titulus sempiternus, sit mensa cœlestis spiritalique convivio parata. Tu enim, Domine, proprio ore tuo hostias super eam impositas benedicito, et benedictas suscipito, atque nobis omnibus tribue, ut participatione earum vitam adquiramus sempiternam. Per.

Deinde dicit antiphonam.

Ant. Confirma hoc Deus, quod operatus est in nobis a templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. Alleluia. *Cum* Gloria.

Benedictio tabulæ.

Dominum Deum Omnipotentem Patrem, universitatis artificem, et immensæ molis admirabilem conditorem, fratres karissimi, votis exultantibus deprecemur, ut qui per omnem mundum fidem sparsit, et ecclesiam congregavit quam lapis Christus ejus Uni-

genitus excisus sine manibus angulari compage solidaret, ut adtollere caput sciret in cœlum quæ de cœlo acceperat fundamentum: lapidem quoque hunc ad conficienda vitæ sacramenta compositum, ita chrismate divinæ sanctificationis suffundat, et æterni luminis benedictione illustret, quatinus efficiatur altare sacrum cœlestis impetu fluminis irrigatum, ut super illud adorandam Filii sui hostiam ipse benedicat inpositam, ipse suscipiat consecratam, ad profectum humanæ salutis, et ad gloriam nominis sui, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum.

Benedictio tabulæ.

Exaudi nos, Domine Deus noster, et precum nostrarum libenter accipe vota, et altare hoc quod celebrandis mysteriis preparatur, odore unguenti cœlestis asperge, aromatibus divinæ sanctificationis infunde, ut sicut lapidem a Jacob patriarcha electum unguenti perfusione ditasti, et angelicis visionibus per scalam gradus ecclesiæ consecrasti: ita hunc quoque lapidem, altari coaptandum, cœlestis gratiæ benedictione infunde, ut dum tibi super eum sacri corporis mysteria consecrantur, petentibus peccata deleantur, merentibus gratia floreat sempiterna. Per.

Oratio post unctionem altaris.

Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut altare hoc (*vel* altaria hæc) ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter benedicere et sanctificare digneris: et quod nunc a nobis indignis, sub tui sancti nominis invocatione, in honore sancti martyris tui Ill., sacrosancti chrismatis unctione delibutum, placeat tibi hoc altare maneat (*vel* hæc altaria maneant) perpetuum, ut quicquid deinceps super eum (*vel* eos) oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocaustum, atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Deo benigne suscipiantur, et per ea peccatorum nostrorum et eorum vincula absolvantur, maculæ deleantur, veniæ impetrentur, gratiæ adquirantur: quatinus una cum sanctis et electis tuis vitam percipere æternam mereamur. Per.

Deinde teneant subdiaconi vel accoliti in ulnis suis linteamina, vel omnia ornamenta æcclesiæ, seu vasa quæ sacranda sunt, et ad

cultum æcclesie pertinere videntur. Et benedicit ea pontifex sicut in Sacramentorum libro continetur.

Item prefatio linteaminum.

Domine, Deus Omnipotens, sicut ab initio hominibus utilia et necessaria creasti, et quemadmodum vestimenta pontificalia sacerdotibus et levitis, ornamenta quoque fieri famulo tuo Moysi per quadraginta dies docuisti, sive etiam ea quæ Maria texuit, et fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis, sanctificare et benedicere consecrareque digneris hæc linteamina in usum altaris tui (*vel* altariorum tuorum) ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat.

Item benedictio ad omnia in usum basilice.

Dignare, Domine, Deus Omnipotens, Rex regum, et Dominus dominantium, Sacerdos omnium, et Pontifex universorum, per quem una cum Patre Sanctoque Spiritu facta sunt universa: Christe Jesu, benedicere, consecrare, et sanctificare digneris vasa hæc cum hoc altare, linteaminibus, cæterisque vasis, patenam hanc, et calicem hunc, vel omnia instrumenta altaris hujus æcclesiæ seu basilicæ, que inter nostras palmas habentur, corde precamur ut benedicas, purifices, consecres et consummes. Per.

Oratio ad corporale benedicendum.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis virtus, cujus ministeria archana mira celebrantur, tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus Dei, et Domini nostri Jesu Christi, Filii tui, qui tecum vivit.

Alia.

Benedic, Omnipotens Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, pannum istum lineum benedictione cœlesti, ad capienda mysteria cœlestia corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, Filii tui, sicut per Evangelia in sindone linea et munda, sepultam cognovimus carnem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum.

Item oratio ad corporale benedicendum, sive duo, vel tria, vel amplius fuerint corporalia benedicenda.

Deus, qui pro generis humani salvatione Verbum caro factum es, et habitare totus in nobis non dedignatus es: quique traditori tuo perfido osculum pium dedisti, dum pro omnium vita pius voluisti agnus mactari, atque in sindone Joseph lino texta totus te involvi permisisti: respice propitius ad vota nostra, qui tua fideliter carismata amplecti cupimus. Quæsumus, Domine, sancti-✠ficare, bene✠dicere, conse✠crareque digneris hæc linteamina in usum altaris tui, ad consecrandum super ea, sive ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, dignisque pareantur famulatibus, ut quicquid sacro ritu super hæc immolabitur, sicut Melchisedec oblatum placeat tibi holocaustum, et reportet per hoc premium quicumque obtulerit votum. Te quoque humiliter rogamus ac petimus, ut hæc linteamina tuæ sanctificationis per Spiritus gratiam ubertate purifices et sanctifices, qui te pro nobis omnibus sacrificium offeri voluisti: et præsta ut super hæc sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, et Spiritus Sancti tui semper rore perfusa. Per.

Alia.

Deus, qui digne tibi servientium nos imitari desideras famulatum, respice propitius ad humilitatis nostræ servitutem, et hoc corporale nomini tuo dicatum, seu hæc linteamina servitutis nostræ usibus preparata, cœlestis virtutibus benedictione sancti✠fica, puri✠fica, et consecra: quatenus super eum, vel super hæc, Spiritus Sanctus tuus descendat, qui et populi tui oblationes benedicat, et corda sive corpora sumentium benignus perficiat. Per.

Deinde vadunt ad eum locum in quo reliquie per totam noctem preteritam cum vigiliis fuerunt. Et dicit sacerdos orationem hanc antequam inde levatur.

Aufer a nobis, quæsumus, Domine, iniquitates nostras, ut et sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Finita vero oratione, elevant eas sacerdotes cum feretro, et cum honore dignissimo, cum crucibus, et turribulis, atque candelabris, et luminibus multis laudes Deo decantando, cum his antifonis.

Ecce populus custodiens judicium, et faciens veritatem, in te

speraverunt, Domine, usque in æternum: Via justorum recta facta est, et iter sanctorum preparatum est.

Ant. Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini: nam et montes et colles exilient exspectantes vos cum gaudio.

Ant. De Hierusalem exeunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion, propterea protectio erit huic civitati, et salvabitur propter David famulum ejus.

Ant. Plateæ Hierusalem gaudebunt, et omnes vici ejus canticum lætitie dicent.

Ant. Via justorum recta facta est, et iter sanctorum preparatum est.

Ant. Ecce, Sion, filiæ tuæ congregate cum jucunditate venient, et omnes sancti gaudebunt super te cum lætitia et exultatione in sempiternum.

Ant. Hierusalem civitas sancta, ornamenta martyrum decorata, cujus plateæ resonant laudes de die in diem.

Ant. Sanctificabo te Hierusalem, dicit Dominus, et dabo sanctis meis regnum et tabernacula æterna, que preparavi in odore unguenti.

Ant. Ambulate sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini: Ædificata est enim vobis æcclesia nova, ubi populus adorare debeat majestatem Domini.

Ant. Ambulate sancti Dei ad locum destinatum, quod vobis præparatum est ab origine mundi.

Dum autem pervenerint ante januam æcclesie, canatur letania; expleta vero, dicit episcopus.

Ingredere, benedicte Domine, præparata est habitatio sedis tuæ.

Sequitur oratio.

Domum tuam, quæsumus Domine, clementer ingredere, et in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam constitue mansionem, ut cujus ædificatione subsistit hujus fiat habitatio præclara.

Venientes autem ante altare, et extenso velo inter eos et populum, facit episcopus crucem de sancto chrismate intus in confessione, in medio, ubi ponende sunt reliquiæ, et per iiij angulos ipsius ita dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Pax tibi.

Et cum spiritu tuo.

Deinde ponit tres portiones corporis Domini intus in confessione, et tres de incenso, et recluduntur intus reliquie, canentes.

Ant. Sub altare Domini sedes accepistis, et intercedite pro nobis per quem meruistis.

Item alia antifona.

Ant. Exaltabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: *Cum Psalmo:* Cantate Domino canticum novum, laus ejus.

Et benedicat tabulam altaris, que tamen tabula prius lota erit ex aqua sacrata.

Benedictio tabulæ.

Singulare illud repropitiatorium, quod se in ara cru✠cis nobis redimendis obtulit immolandum, cujus præfiguratione patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portæ cœli desuper aperiretur oraculum: suppliciter tibi, Domine, preces fundimus, ut metalli hujus expolita materies supernis sacrificiis imbuendo, ipse tuæ dotari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. Per.

Deinde ponatur tabula desuper, id est, mensa altaris, et lineatur calce, et dicat hanc orationem.

Deus, qui ex omni coaptione sanctorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia, ut quorum hic reliquias pro amore conplectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Dominum.

Alia oratio.

Deus Omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, qui inter ceteras creaturas formam lapidei metalli ad obsequium tui sacrificii condidisti, ut legislatori tuo præparetur altare: annue dignanter hujus institutor mysterii, ut quicquid hic oblatum sacratumve fuerit, nomini tuo adsurgat, religioni proficiat, spei initietur, fidei sit honore. Per Dominum.

Nunc facta cruce de sancto chrysmate super eam, sequitur consecratio.

Consecratio tabulæ.

Omnipotentem Deum et Dominum nostrum votis exultantibus deprecemur, ut qui per omnem mundum fidem sparsit, æcclesiam congregavit, lapisque excisus de monte sine manibus angularem compagem solidavit: hanc quoque tabulam ad altare serenus illustret, eamque impetu æterni luminis irrigatam, ita diversis per membra chrismatibus locupletet, ut super illam admirandam Filii sui hostiam ipse benedicat inpositam, ipse suscipiat consecratam. Per.

Post hæc vestiatur, et coopertatur ipsum altare cum antifona.

Ant. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino. Alleluia. *Cum Psalmo:* Fundamenta ejus.

Et benedicit eum his verbis.

Item oratio post velatum altare.

Descendat, quæsumus Domine, Deus noster, Spiritus Sanctus tuus super hoc altare (*vel* hæc altaria), qui et populi tui dona sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet.

Item oratio ad patenam consecrandam.

Consecramus et sanctificamus hanc patenam, ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi patientis crucem pro omnium nostra salute, qui cum Patre et Spiritu.

Deinde facit signum de oleo sancto super patenam, et benedicit eam his verbis.

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, Deus Omnipotens, patenam hanc, per istam unctionem, et nostram benedictionem, in Christo Jesu Domino nostro, qui tecum vivit.

Item ad calicem benedicendum vel consecrandum.

Oremus, dilectissimi fratres, ut Dominus Deus noster calicem suum in usum ministerii consecrandum cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet, ut ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per.

Item alia.

Dignare, Domine Deus noster, calicem istum in usum ministerii tui pia devotione formatum ea sanctificatione perfundere, quia Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti, et quod ante vel metallo effici non potest, altaribus tuis dignum fiat, tua benedictione pretiosum atque sanctificatum. Per.

Prefatio chrismalis.

Oremus, dilectissimi et fratres karissimi, ut Deus Omnipotens hoc ministerium corporum Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerulum benedictione sanctificationis, tutamine defensionis, donationis implere dignetur orantibus nobis. Per eundem.

Alia.

Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tue benedictionis infunde, ut, per nostram benedictionem, hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulchrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per.

Inde vero revertatur pontifex in sacrarium, et induant se aliis sollemnibus vestimentis, ipse et ceteri ordines; interim namque æcclesia ornetur et decoretur lumine. Post hæc, cantor, petita benedictione ab episcopo, incipiat antifonam ad introitum missæ, et tunc procedit pontifex de sacrario cum omnibus ordinibus suis, sicut mos est; et celebratur missa sicut in Sacramentorum libro continetur.

Item missa in dedicatione æcclesie.

Ad introitum.

Terribilis est locus iste, hic domus Dei est, et porta cœli, et vocabitur aula Dei.

Psalmus. Dominus regnavit.

Deus, qui invisibiliter omnia contines, et tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, templum hoc potentiæ tuæ inhabitationis illustra, ut omnes qui huc

deprecaturi conveniunt, et quacumque tribulatione ad te clamaverunt, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per.

Alia.

Deus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus invocantibus nomen tuum defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per.

Lectio libri Apocalypsis Johannis Apostoli.

In diebus illis. Vidi civitatem sanctam, Hierusalem novam, descendentem de cœlo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis. Et ipsi populus erunt, et ipse Dominus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit mihi qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.

Graduale. Locus iste a Deo factus est inestimabile sacramentum, inreprehensibilis est.

Versus. Deus, cui adstat angelorum chorus, exaudi preces servorum tuorum. Alleluia.

Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem vocatis me, Domine Domine, et non facias quæ dico? Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit: similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamenta supra petram: inundatione autem

facta, inlisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere, fundata enim erat supra petram.

Offertorium. Domine Deus, in simplicitate cordis mei letus obtuli universa, et populum tuum qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio. Deus Israel custodi hanc voluntatem. Domine Deus.

Omnipotens sempiterne Deus, altare nomini tuo dedicatum cœlestis virtutis benedictione sanctifica, et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende, ut hic sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per.

Prefatio.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc (*vel* altaria ista), sanctis usibus preparatum (*vel* preparata), cœlesti dedicatione sanctifices, ut sicut Melchisedech sacerdotis precipui oblationem dignatione mirabilium suscepisti, ita imposita nova huic altari (*vel* his altaribus) munera semper accepta ferre digneris, ut populus, qui in hanc æcclesiæ domum sanctam convenit, per hæc libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Et ideo.

Communio. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit accipit, et qui querit invenit, et pulsanti aperietur.

Post communionem. Quæsumus, Omnipotens Deus, ut hoc in loco quem nomini tuo indigni dicavimus, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per.

Super populum.

Copiosa beneficia, quæsumus Domine, populus Christianus assequatur, ut qui in honore sanctorum sacrandis tibi liminibus devotus occurrit, et vitæ subsidia presentis accipiat, et gratiam sempiternæ redemptionis inveniat. Per.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, ad sanctifica-

tionem loci hujus propitius adesse dignare, ut qui hæc in honorem tui nominis condiderunt protectorem te habere in omnibus mereantur atque custodem. Per.

Super oblata.

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium differentias hostiarum in unius hujus sacrificii protectione sanxisti: respice propitius de throno gloriæ tuæ, et super hoc altare (*vel* hæc altaria) benedictionis tuæ munus effunde, ut in eo (*vel* eis) sic temporales hostiæ consecrentur, ut perpetuæ vitæ sumentibus procurent substantiam. Per.

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Qui cum ubique sis totus, et universa tua majestate contineas, sacrari tamen tibi locum tuis mysteriis aptum voluisti, ut ipse orationum domus supplicium mentes ad invocationem tui nominis incitarent: effunde super hunc locum gratiam tuam, et omnibus in te sperantibus auxilium tui muneris ostende, ut hic et sacramentorum virtus, et votorum optineatur effectus. Per Christum.

Post communionem.

Multiplica, quæsumus Domine, per hæc sancta quæ sumpsimus veritatem tuam in manibus nostris, ut te in templo sancto tuo jugiter adoremus, et in conspectu tuo cum tuis sanctis angelis gloriemur. Per.

Super populum.

Sanctificationem domus tuæ, Domine, suppliciter recolentes exaudi, ut sanctorum tuorum nos sacra dedicatione lætantes in eorum nos facias, quæsumus, sorte participes. Per.

Item in dedicatione oratorii.

Collectus.

Deus, qui æcclesiæ tuæ in sanctis montibus fundamenta posuisti, da, quæsumus, ut nullis errorum subruatur incursibus, nulla

mundi perturbatione quatiatur, sed apostolica sit semper institutione firma, et in tua interventione secura. Per.

Alia.

Deus, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, et benedictionibus tuis dicanda præcedis, presta, quæsumus, ut quod beato apostolo tuo Ill., famulus tuus Ill. hoc in ædificio deputavit, digno ei præparetur officio. Per.

Super oblata.

Votorum nostrorum munus, quæsumus Domine, propitiatus assume, ut talibus sacrificiis exoratus, et nostris veniam delictis impertias, et hujus tabernaculi ex te sanctificati orationibus cumulatus exaudias. Per.

Post communionem.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus, ut pro nobis non desit oratio, quorum nos donasti patrocinio gubernari. Per.

Super populum.

Multiplica, quæsumus Domine, benedictionem tuam super nos, et spiritu tui muneris fidem nostram corrobora, et presta, quæsumus Domine, ut qui hic fideliter convenerunt, eos in libro vitæ adscribi jubeas, et ad regnum tuum cœleste securi pervenire mereantur. Per.

Item benedictio ab episcopo dicenda super populum in dedicatione æcclesie.

Inclina, Domine, aurem tuam ad me, et exaudi me: respice de cœlo, Christe, super gregem et agnos tuos. Amen.

Porrige manum tuam super ipsos, et benedic corpora et animas eorum, ut in consortio sanctorum accipiant benedictionem celestem, lumen angelicum, Spiritum Sanctum Paraclitum. Amen.

Qui ex aqua et Spiritu Sancto sunt renati, qui pretioso sanguine tuo in terra sunt conparati, qui signum tuum, Christe, in frontibus eorum acceperunt, tuos esse concedas in die judicii, et quos pretioso sanguine redemisti, in tuo regno jubeas adunari. Amen.

Sicut benedixisti patriarchas et prophetas, apostolos, martyres et confessores, virgines et sacerdotes, sic benedic, Domine, gregem istum qui in nomine tuo in æcclesia ista hodie sunt congregati. Amen.

Et sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis per angelum tuum, sic libera, Domine, gregem istum de inferno, et de diaboli potestate, et de terrena cupiditate, et de variis languoribus. Amen.

Culpis parcas, peccata remittas, ut mundos et inmaculatos in die judicii recipias ipsos, sicut recepisti Heliam et Enoc justos in regno cœlorum.

Quod ipse prestare digneris, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus. Amen.

Benedictio Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Item oratio in dedicatione fontis.

Omnipotens sempiterne Deus, hoc baptisterium cœlesti visitatione dedicatum, Spiritus tui illustratione sanctifica, ut quoscumque fons iste lavaturus est trina ablutione purgati indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, fons omnium virtutum, et plenitudo gratiarum, dignare eadem (*vel* eundem) sacro baptismati preparatum majestatis tuæ presentia consecrare, ut qui ubique totus es, etiam hic adesse te in nostris precibus sentiamus. Per.

Post communionem.

Suscipe, quæsumus Domine, preces nostras cum oblationibus supplicantium, et concede propitius, ut quicquid hic novum regenerandi per Spiritum Sanctum acceperint, tua gratia fiat æternum. Per.

Post communionem.

Multiplica, Domine, benedictionem tuam, et per spiritum tui muneris fidem nostram corrobora, ut qui in hæc fluenta descenderint, in libro vitæ adscribi mereantur. Per.

Ad populum.

Propitiare, Domine, familiæ tuæ, et benignus humilitatis nostræ vota sanctifica, et omnes in hoc fonte regenerandos universali adoptione custodi. Per.

In consecratione cimiterii.

Primitius cum aqua benedicta episcopus cum clericis suis circumdare debeat omne cimiterium, cum Psalmo: Miserere mei Deus, *et Antifona,* Asperges me: *postea litania; deinde dicat,* Dominus vobiscum.

In orientali angulo cimiterii.

Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium et invisibilium perfectus dispositor, te supplici voce et puro corde exposcimus, ut hoc cimiterium sive poliandrum, in quo famulorum famularumque tuarum corpora requiescere debent, post curricula hujus vitæ labentia, sanctificare, purgare, adque benedicere digneris: quique peccatorum remissionem per tuam magnam misericordiam in te fidentibus prestitisti, corporibus vero eorum in hoc cimiterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli hic exspectantibus, consolationem perpetuam largitor inpertire. Per.

In australi angulo cimiterii.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, trina Majestas, et una Deitas, Pater, et Filius, necne Spiritus Sanctus, justitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, charismatum distributor, omniumque ad te venientium pius receptor: presta propitius, ut hoc cimiterium in honore nominis tui compositum benedicere et sanctificare concedas, qui Abrahæ beato patriarche famulo tuo terram a filiis Hebron comparatam causa sepulture benedixisti; et qui populo Israhelitico promissionis tellurem in ævo durantem concessisti, famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cimiterium intrantibus, quietis sedem ab omni incursione malorum spirituum, et tutelam benignus largitor tribuas, ut

post animarum corporumque resurrectionem coadunatam, te donante atque concedente, beatitudinem sempiternam percipere mereantur.

In occidentali angulo cimiterii.

Domine Deus, pastor æterne gloriæ, custos et vigor prudentiæ, salus egrotantium, valitudo potentium, mestorum solamen, vita justorum, gloria humilium: te flagitamus, ut hoc sanctorum tuorum cimiterium ab omni spurcitia et inquinamento spirituum inmundorum custodire, mundare et benedicere digneris: atque corporibus humanis huic loco advenientibus sinceritatem perpetuam tribuere non desinas, ut quicumque Baptismi sacramentum perceperint, et in fide Catholica usque ad vitæ terminum perseverantes fuerint, atque decurso hujus ævi termino, corpora sua in hoc cimiterio requiei commendaverint, angelicis tubis concrepantibus, materia corporis et animæ unita, premia cœlestium gaudiorum sempiterna percipiant. Per.

In aquilonari angulo cimiterii.

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis, fides credentium, respice propitius ad nostræ servitutis officium, ut ad introitum nostrum bene✠dicatur, conse✠cretur, et sancti✠ficetur hoc cimiterium: quatinus humana corpora hic post vitæ cursus pausantia in magno judicii die, simul cum felici anima mereantur adipisci vite perennis gaudia. Per Dominum.

Oratio in medio poliandri.

Adesto, quæsumus Domine Deus, officio nostre servitutis, et hunc locum visitando nostræ fragilitatis ministerio sanctifica: et sicut benedixisti per manus patrum sepulchra majorum, scilicet, Abrahæ, Isaac, et Jacob, et postmodum nostræ salutis remedio traditus, flagellatus, tandemque cruci affixus, per te ipsum, Joseph divinitus præparante, terrenum sanctificasti sepulchrum: ita hoc cimiterium bene✠dicere, consecrare, et ab invisibilium machinamentis hostium roborare digneris: quo omnes qui post laborem vitæ hic corpore pausaverint, perpetuæ felicitatis premia consequantur. Per.

Missa in cimiterio.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, animabus famulorum famularumque tuarum, vel omnibus in hoc cimiterio quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absolute sine fine lætentur. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, annue, quæsumus, precibus nostris ea que poscimus, et dona omnibus, quorum hic corpora requiescunt, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem, ut qui peccatorum suorum pondere pregravantur, eos supplicatio commendet æcclesie. Per.

Secreta.

Pro animabus famulorum famularumque tuarum et omnium hic dormientium, hostiam, Domine, suscipe benignus oblatam, ut hoc sacrificio singulari vinculis horrende mortis exute vitam mereantur æternam. Per.

Post communionem.

Deus, fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris, et da omnibus quorum corpora hic requiescunt refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem. Per.

Reconciliatio altaris vel loci sacri, ubi sanguis fuerit effusus, aut homicidium perpetratum.

Deum indultorem criminum, Deum sordium mundatorem, Deum, qui cunctum peccatis originalibus mundum adventus sui nitore purificavit, supplices deprecamur, ut diaboli furentis insidiis fortis nobis pugnator assistat: et si quid ejus calliditate cotidianis infestationibus maculatum in nobis corruptumque fuerit, efficiatur cœlesti sancti✠ficatione ac mundatione, sive miseratione purgatum quod fuerat diaboli fraude pollutum, quia sicut illius est solidum perfectumque quassare: ita auctoris nostri, est lapsa restituere, et corrupta purgare, cujus majestatem precamur, ut hæc

fiant ab omni pollutione purgata et sanctificata, atque in priorem statum restituta, et reconciliata, ac sacrata. Per.

Alia.

Deus, cujus bonitas nec principium nec finem habet, cujus est polluta purgare, neglecta restaurare, vitiata reædificare, exaudi orationes nostras, ut hujus æcclesiæ sive poliandri receptaculum placatus accipias, et altare tuum quod infestantis diaboli fraude fuit pollutum, per infusionem gratiæ celestis sanctifices, purificatumque possideas. Nihil hic, quæsumus Domine, postmodum noceat preteriti culpa contagii, nichil sit quod maneat inimici fraude pollutum: resurgat vero æcclesiæ tuæ pura simplicitas, et candor innocentiæ hactenus maculatus, dum recipit gratiam, revertatur ad gloriam: quatenus hic populorum turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum se sentiat obtinuisse suffragia. Per.

Missa in reconciliatione ecclesiæ.

Dum sanctificatus. *Psalmus.* Benedicam. *Graduale.* Tollite ostias. *Versus.* Revelavit. Alleluia. *Versus.* Confitemini Domino, et invocate. *Offertorium.* Oravi Deum meum. *Communio.* Acceptabilis.

Deus, qui dixisti: Domus mea domus orationis vocabitur, domum istam, gentium spurcitiis contaminatam, mundare, et sancti✠ficare digneris, ut omnium preces et vota hoc in loco ad te clamantium, clementer exaudias, et benigne perficias. Per.

Super oblata.

Hæc hostia, quæsumus Domine, et locum istum ab inmunditiis nationum expurget, et supplicationes hic et ubique tibi reddat acceptas. Per.

Post communionem.

Percipientes, Domine, munera salutis æterne, te supplices exoramus, ut templum vel poliandrum hoc a barbarorum inquinamentis emundatum, tua benedictione maneat sanctificatum,

et pectora nostra, ab omni sorde vitiorum alienata, tibique devota semper assistant. Per.

Benedictio in reconciliatione æcclesie ubi sanguis effusus, aut homicidium perpetratum fuerit.

Omnipotens Deus universa a nobis et ab hoc templo vel domo adversa excludat, ac suæ super vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen.

Corda vestra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen.

Quatenus exsequenda intelligentes, et intellecta exsequentes inter adversa mundi inveniamini incolomes, et beatorum spirituum efficiamini coheredes.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in quacumque festivitate sanctorum.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, respice propitius hos famulos tuos, et has famulas tuas, qui benedictionum tuarum dona desiderant : presta ut in omnibus tuis præceptis pia veneratione deserviant. Amen.

Ut omni sanctitate firmati retributionis diem sine metu confusionis expectent, et sanctam ac sacratissimam hodierne festivitatis N. celebrantes, grata vota sollemniter illorum accepta in conspectu majestatis tuæ appareant. Amen.

Ac beatorum consortes sanctorum aggregati æternæ vitæ premia consequi mereantur, et a te æterna exultatione, et perpetua benedictione ditentur. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio dominicalis cotidianis diebus dominicis.

Conservet vos Omnipotens Deus ab omnibus malis, et vos custodiat in omnibus bonis. Amen.

Separet vos ab illicitis cogitationibus vestris, et conjunget cœlestium virtutum affectibus; separet a vobis cunctos adversarios vestros, et preparet innumerabiles amicos. Amen.

Terram vobis fructiferam faciat, et cœli serenitatem tribuat, et perfectam caritatem concedat. Amen.

Suis vos repleat benedictionibus insuper, et exaltet in cœlorum regni sedibus.

Qui vobis benedixerit, a Deo æterno sit benedictus: qui vobis nocuerit, a Deo sit separatus. Amen.

Tribuat vobis cœlestem benedictionem, et perducat vos ad vitam sine fine durantem. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Dominica j. post Natalem Domini.

Deus, qui Filii sui temporalem pueritiam fecit esse mirabilem, spiritu prudentiæ corda vestra illustrare ac docere dignetur. Amen.

Quique illum parentibus temporaliter subdi voluit, ipse vos humilitatis et pietatis muneribus mirabiliter informet. Amen.

Et qui eum sapientia, ætate et gratia proficere tribuit, spiritalium vobis profectuum incrementa propitius largiatur. Amen.

Quod ipse prestare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et pax Domini sit semper vobiscum.

Dominica j. post Epiphaniam Domini.

Deus, qui sua mirabili potestate aquam vertit in vinum, vos a vetustate subtractos in beatæ vitæ transferat novitatem. Amen.

Et qui nuptiis interesse voluit, ut earum sua presentia comprobaret bonum, ipse vobis castitatis et sobrietatis perpetuæ conferat donum. Amen.

Ipse etiam vobis sanctarum scripturarum intellegentiam tribuat spiritalem, qui aquas in vinum vertendo hoc ipsum voluit designare. Amen.

Quod ipse prestare dignetur, cujus regnum. Amen. Benedictio Dei, Patris.

Dominica ij. post Epiphaniam Domini.

Omnipotens Deus vos ab omnium peccatorum maculis emundet, qui leprosum supplicem tactu proprio dignatus est emundare. Amen.

Quique centurionis servum non aspernatus est visitare, ipse cordium vestrorum hospitium dignetur misericorditer introire. Amen.

Sicque vos fidelitatis suæ plenitudine informet, ut cum sanctis suis in cœlorum regna accumbere concedat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Dominica iij.

Temptationum omnium a vobis Dominus pericula removeat, et perturbationum procellas miseratus excludat. Amen.

Temptatoris fraudes atque molimina dissolvat, et vos adversus eum cautos atque invincibiles faciat. Amen.

Continua pacis vobis munera tribuat, et vos in portu tranquillitatis ac securitatis propitiatus constituat.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Dominica iiij.

Deus, qui bonorum semen in sua æcclesia serere consuevit, in vobis illud conservare atque multiplicare numquam desistat. Amen.

Zyzaniorum super seminatorem a vobis procul repellat, et sui verbi pabulo vos indesinenter reficiat. Amen.

Qui, cum dies judicii advenerit, a reprobis separati, ad dextram judicis sistamini, et in beatissimo ipsius regno collocemini. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Dominica in LXX.

Deus, qui mare suis pedibus fecit esse calcabile, vobis quicquid est noxium ipse substernat. Amen.

Contrarios inmundorum spirituum motus compescat, et vos in sua pace confirmet.

Crucis suæ navim inter mundi fluctibus gubernet, et in litus beatæ perennitatis perducat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Dominica in LX.

Omnipotens Deus stadium vestri cursus dirigere dignetur, ut bravium vos æternæ vitæ comprehendere faciat. Amen.

Et ita vos abstinentiæ armis circumdet, ut nullis hujus vitæ oneribus a perventione retardemini. Amen.

Quique vos vineam suam vocare, vobisque sanctos operarios mittere dignatus est, ipse vos sua gratia dignetur excolere, ut denario vitæ perennis remunerare non abnuat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Vel.

Det vobis Dominus magna mysteria regni Dei, qui jam dare dignatus est auditum verbi sui. Amen.

Sicque mentes vestras seminis sui copia repleat, ut in vobis illud sibi placita fructificare concedat. Amen.

Et ita vos ab omni temptatione muniat, quatenus triceni, sexageni, atque centeni fructus pro sua gratiæ distributione munificentiam tribuat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

iiij. Feria. Caput jejunii. Benedictio.

Omnipotens Deus sua vos benedictione confirmet, et inminenti quadrigesimali abstinentia aptos efficiet. Amen.

Quique ceco supplicanti per divinitatis potentiam lumen restituit, cecitatem vestri cordis clementissimus inluminator abstergat, et lucis suæ radiis mentes vestras benignus inlustret. Amen.

Quatenus vitiorum sordibus emundati, et caritatis ardore soliditati, celestem hereditatem percipere valeatis illesi.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in initio XL.

Benedicat vos Omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moysi et Eliæ, necnon et Mediatoris nostri jejunio consecravit: concedatque vobis ita transire presentis vitæ dispensationem, ut accepto a patre familias remunerationis denario perveniatis ad peccatorum omnium remissionem, et ad gloriosam cum sanctis omnibus resurrectionem. Amen.

Detque vobis spiritalium virtutum invictricia arma, quibus exemplo Domini devincere valeatis antiqui hostis sagacissima temperamenta. Amen.

Quo non in solo pane, sed in omni verbo quod de ore ejus procedit, spiritalem sumentes alimoniam, per jejuniorum observationem, et ceterorum bonorum operum exhibitionem, percipere mereamini inmarcescibilem gloriæ coronam.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in die XL *ad vesperum.*

Ad custodiendum gregem tuum, animarum Pastor bone, qui dormire nescis, invigila. Amen.

Et ne diurnis atque nocturnis terroribus fatigentur, cœlestia super eos velamenta prætende. Amen.

Ut tuti semper ab infestationibus inimici maneamus illesi. Amen.

Et in habitaculis nostris pax vegetet, quies permaneat. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem passionis suæ vos redemit in terris: cui est honor et imperium, regnum et potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei, Patris et Filii. Amen.

Dominica ij. in XL. *Benedictio.*

Omnipotens Deus, jejunii ceterarumque virtutum dedicator atque amator, sua vos benedictione sanctificet. Amen.

Accendat in vobis pie devotionis affectum, et prebeat supplicantibus suum benignus auditum. Amen.

Quatenus mentes vestre sinceris purgate jejuniis, bonorum omnium exuberent incrementis. Amen.

Quod ipse prestare. Amen. Benedictio.

Dominica iij. in XL. *Benedictio.*

Omnipotens Deus jejuniorum vestrorum victimas clementer accipiat, et sua vos benedictione dignos efficiat. Amen.

Mentes vestras ita parsimoniæ bono contra vitia muniat, preceptorum suorum doctrinis erudiat, caritatis dono repleat, ut vos in omnibus sibi placere concedat. Amen.

Quatenus presentis quadrigesime diebus devotissime celebratis, ad paschalia festa purificatis cordibus accedere valeatis. Amen.

Quod ipse prestare. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica iiij. in quadragesima. Benedictio.

Deus, qui vos ad presentium quadragesimalium dierum medietatem dignatus est perducere, ipse vos sua miseratione dignetur benedicere. Amen.

Abstinentiam vestram preteritam acceptet, futuram ita sibi placitam reddat, ut sicut ab inlicitis cibis, ita vos etiam a vitiis omnibus abstinere concedat. Amen.

Quod de preteritis et de futuris spiritalium charismatum frugibus ei grates persolventes ad sanctum Pascha pervenire possitis indempnes. Amen.

Quod ipse prestare. Amen. Benedictio.

Dominica v. infra XL. Benedictio.

Accendat in vobis Dominus vim sui amoris, ut per jejuniorum observantiam infundat in vobis donum suæ benedictionis.

Sic ei parsimonie victimas offeratis, ut contriti et cordis et humilitatis sacrificio placeatis. Amen.

Quatenus oratio vestra jejunii et elemosine alis subvecta, ita ad aures vestri conditoris ascendat, ut vos æterne beatitudinis heredes, et supernorum civium consortes efficiat. Amen.

Quod ipse prestare. Amen. Benedictio. Amen.

In ramis palmarum. Benedictio.

Benedicat vos Omnipotens Deus, cui et jejuniorum maceratione, et presentium dierum observatione placere studetis. Amen.

Concedatque vobis, ut sicut ei cum ramis palmarum ceterarumve frondium presentari studuistis, ita cum palma victoriæ, et fructu bonorum operum, et post obitum apparere valeatis. Amen.

Quique Unigeniti Filii ejus passionem puro corde creditis, mente devota venerari studetis, ad resurrectionis ejus festa, et vestræ remunerationis premia illius fulti munimine veniatis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Item alia benedictio in Passione.

Omnipotens Deus, qui Unigeniti sui passione tribuit vobis

humilitatis exemplum, concedat vobis per eandem humilitatem percipere suæ benedictionis ineffabile donum. Amen.

Ipsius resurrectionis percipiatis consortia, cujus patientiæ veneramini documenta. Amen.

Quo ab eo sempiternæ vitæ munus percipiatis, per cujus temporalem mortem æternam vos evadere creditis. Amen.

Quod ipse prestare. Amen. Benedictio.

In cœna Domini.

Benedicat vos Deus, qui per Unigeniti Filii sui passionem vetus Pascha in novum voluit converti, concedatque vobis expurgata veteris fermenti contagione, nova in vobis perseveret consparsio. Amen.

Et qui ad celebrandam Redemptoris nostri cenam mente devota convenistis, æternarum dapium vobiscum epulas reportetis.

Ipsius quoque opitulante clementia mundemini a sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum pedes voluit lavare discipulorum.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

In Sabbato Sancto.

Deus, qui de æcclesiæ suæ intemerato utero novos populos producens, eam, virginitate manente, nova semper prole fecundat, fidei, spei, et caritatis vos munere repleat, et suæ in vobis benedictionis donum infundat. Amen.

Et qui hanc sacratissimam noctem Redemptoris nostri resurrectione sua voluit inlustrare, mentes vestras, peccatorum tenebris mundatas, virtutum copiis faciet coruscare. Amen.

Quo eorum qui modo renati sunt, innocentiam imitari certetis, et vascula mentium vestrarum exemplo presentium luminum inlustratis. Amen.

Ut cum bonorum operum lampadibus, ad hujus sponsi thalamum cujus resurrectionem celebratis, cum prudentibus virginibus intrare possitis. Amen.

Quod ipse prestare. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in die sancto Paschæ.

Benedicat vos Omnipotens Deus, hodierna interveniente

paschali sollempnitate, et ab omni miseratus dignetur defendere pravitate. Amen.

Et qui ad æternam vitam in Unigeniti sui resurrectione vos reparat, in ipsius adventu immortalitatis vos gaudiis letificet. Amen.

Et qui expletis jejuniorum sive passionis dominice diebus paschalis festi gaudia celebratis, ad ea festa quæ non sunt annua sed continua, ipso opitulante, exultantibus animis veniatis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

In Pascha ad vesperum. Benedictio.

Deus, qui calcatis inferni legibus captivitatem nostram resoluta catenarum conpage, dignatus es ad libertatis premia revocare.

Ut qui per suæ transgressionis deliberationem merito compellente perierat, passionis medelæ operante misericorditer revocatus est ad vitam.

Inclina aures tuas ad populi vota propitius, ut hinc ad te recuperatorem suum sensus semper attollat intentos. Amen.

Te cognoscat, se corrigat, te deprecetur, se commendet, te colat, se muniat, te diligat, se componat. Amen.

Inlesus custodiat quod accepit, ut adquirat, te remunerante, quod indiget.

Tu sis circumstantium sine interpellatione defensio, isti sint tua sine hostis invasione possessio. Amen.

Ut ad beatæ vitæ gaudia festinantes, qui salutari fonte renati sunt, peccati non repetant originalis excessum. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem passionis suæ vos redimit in terris: Cui est. Amen.

Benedictio Dei, Patris et Filii. Amen.

ij. Feria.

Deus, qui pro vobis suscepit injuriam crucis, lætitia vos innovet suæ resurrectionis. Amen.

Et qui pendenti secum in cruce latroni dimisit delictum, vos salvet a cunctis nexibus peccatorum. Amen.

Ut redemptionis vestræ mysterium et digne convertatis in opere et locupletius æterna perfruamini remuneratione. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

iij. Feria.

Deus, qui vos lavit aquis sui lateris, et redemit effusione cruoris, ipse in vobis confirmet gratiam adeptæ redemptionis. Amen.

Per quem renati estis ex aqua et Spiritu Sancto, ipse vos cœlesti consociet regno. Amen.

Quique dedit nobis initia sanctæ fidei, ipse conferat et perfectionem operis, et plenitudinem caritatis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

iiij. Feria.

Dominus, Deus noster, vos perducat ad arborem vitæ, qui emit de lacu miseriæ. Amen.

Ipse vobis operiet januam paradisi, qui confregit portas inferni. Amen.

Ipse vos eruat a flagellis, et in regnum suum perducat confidentes, qui pati dignatus est pro impiis innocens. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

v. Feria.

Omnipotentis Dei et Domini nostri benedictionibus repleamini, cujus estis sanguine pretioso redempti. Amen.

Ipsius vos indeficiens repleat gratia, cujus ineffabilis plasmavit potentia. Amen.

Et qui vobis in hoc mundo prestitit conditionem nascendi, ipse in regno æterno tribuat mansionem sine fine vivendi.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

vj. Feria.

Benedicat vos Deus de cœlis Omnipotens, qui, per crucem et sanguinem passionis suæ, vos dignatus est redimere in terris.

Ipse vos renovet a vetustate peccati. Amen.

Qui pro nobis infera penetravit.

Vitam suam Dominus tribuat vobis, qui mortem vestram suscepit et perdidit.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Sabbato.

Deus, qui calcatis inferni legibus captivitatem nostram resolutam catenarum conpage dignatus est ad libertatis premia vocare, ipse vobis prestet ita hanc vitam transire, ut in illam perpetuam ipso duce possitis intrare. Amen.

Et vitæ prebeat vobis fervorem Catholicæ fidei, ut sancti Adventus illius sitis expectatione securi. Amen.

Ut quicumque hic meruerunt purgari unda baptismi, ibi presentari valeant pio judici candidati. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica octavæ Pasche. Benedictio.

Deus, cujus Unigenitus hodierna die discipulis suis januis clausis dignatus est apparere, suæ vos benedictionis dono locupletare, et cœlestis vobis regni januas dignetur aperire. Amen.

Et qui ab eorum pectoribus adtactu sui corporis vulnus amputavit dubietatis, concedat ut per fidem, qua eum resurrexisse creditis, omnium delictorum maculis careatis. Amen.

Et qui eum cum Thoma Deum et Dominum creditis, et cernuis vocibus invocatis, ab eo in hoc seculo a malis omnibus tueri, et in futuro sanctorum cœtibus adstare valeatis.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica j. post octavas Pasche. Benedictio.

Benedicat vos Omnipotens Deus, qui vos gratuita miseratione creavit, et in resurrectione Unigeniti sui, spem vobis resurgendi concessit. Amen.

Resuscitet vos de vitiorum sepulchris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen.

Ut cum eo sine fine feliciter vivatis quem resurrexisse a mortuis veraciter creditis.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica ij. post octavas Pasche. Benedictio.

Deus, qui per resurrectionem Unigeniti sui vobis contulit et bonum redemptionis et decus adoptionis suæ, vobis conferat premia benedictionis. Amen.

Et quo redimente percepistis donum perpetuæ libertatis, eo largiente, consortes efficiamini æternæ hereditatis.

Et cui consurrexistis in baptismate credendo, adjungi mereamini in cœlesti regione bene vivendo. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Dominica iij. post octavas Pasche. Benedictio.

Concede, misericors Deus, huic plebi salutifere Paschæ sollempnia celebranti, omnes ovium vellere in tua voluntate plantari, et sperare quod tibi placuerit, et impetrare sibimet quod oportet. Amen.

Te oculis intendat, corde teneat, voce concinat, et votis requirat: evitet quod vetueris, eligat quod jusseris, amplectatur quod dicis, impleat quod placet. Amen.

Ut in eo mystice pietatis tuæ sacramento perfecto prompte suum diligat Deum, qui sanguine fuso prophetico nova mente intelligit se redemptum. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio de jejunio vel Dominico iiij.

Omnipotens Deus devotionem vestram dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.

Indulgeat vobis mala omnia quæ gessistis, et tribuat veniam quam ab eo deposcitis. Amen.

Sicque jejunii vestri et precum vota suscipiat, ut a vobis adversa omnia quæ peccatorum retributione meremini avertat, et donum in vos Spiritus Paracliti infundat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in Rogatione.

Dignare, Domine, visitare hos famulos et has famulas subjectis vultibus benedictionum tuarum dona poscentes. Amen.

Libera eos a diebus malis, et da eis tempora pacis, et premium æterne retributionis. Amen.

Et sicut turbam illam tecum triduo jejunantem benedicto pane pavisti Rex gloriæ, ita nunc digneris reficere hanc plebem lætaniorum sollempnia tibi triduo celebrantem. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Alia benedictio.

Respice, Domine, famulos tuos subjectis vultibus benedictionum tuarum dona poscentes. Amen.

Rege eos de superioribus tuis, et ubertatem fructuum largire eis: libera eos a diebus malis, et da eis tempora pacis, ut in presenti tempore consistant securi, et ad æterna gaudia perveniant hinc liberi. Amen.

Et qui quondam miseratus es turbæ tecum triduo permanenti, simili nunc dignatione huic miserere plebi tibi jejuniis et hymnis innixius supplicanti. Amen.

Nec sit illa major misericordia, qua tu pavisti turbam ne deficeret in via, quam super hanc familiam, ne de tua gratia redeat hinc jejuna. Amen.

Sed sicut turbam illam benedicto pane pavisti Rex gloriæ, ita nunc digneris reficere hanc plebem lætaniorum sollempnia tibi triduo celebrantem.

Ille vos benedicat. Amen.

Benedictio.

Dominica j. post Ascensum Domini. Benedictio.

Benedictionum suarum super vos Dominus imbrem infundat, et claritatis suæ thesauros celestes vobis aperiat. Amen.

Efficiatque vos Dominus vitæ æterne participes, et regni cœlestis coheredes.

Dignam in vobis habitationem Spiritus Sanctus inveniat, et ejus gloriosa majestas placide in vestris cordibus requiescat.

Quod ipse prestare. Amen.

Quod ipse.

Benedictio in Ascensu Domini.

Benedicat vos Omnipotens Deus, cujus hodierna die Unigenitus cœlorum alta penetravit, et vobis ubi ille est ascendendi aditum patefecit. Amen.

Concedat propitius ut sicut post resurrectionem suam discipulis visus est manifestus, ita vobis in judicium veniens videatur placatus. Amen.

Et qui eum consedere Patri in sua majestate creditis, vobiscum

manere usque in finem sæculi, secundum suam promissionem sentiatis. Amen.

Quod ipse prestare. Amen.

Benedictio.

In vigilia Pentecostes. Benedictio.

Benedicat vos Omnipotens Deus, ob cujus Paracliti Spiritus adventum mentes vestras jejunii observatione preparatis, et presentem diem sollempnibus laudibus honoretis. Amen.

Ad instar modo renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum Sancti Spiritus ipso tribuente esse possitis. Amen.

Atque idem Spiritus Sanctus ita vos hodie sua habitatione dignos efficiat, ut cras se vestris mentibus vobiscum perpetim habitaturus infundat, ut peracto presentis vite curriculo vos ad celestia regna perducat. Amen.

Quod ipse prestare. Amen.

Benedictio.

In die Pentecostes. Benedictio.

Deus, qui hodierna die discipulorum mentes Spiritus Paracliti infusione dignatus est inlustrare, faciat vos sua benedictione repleri, et ejusdem Spiritus donis exuberari. Amen.

Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, et sui luminis infusione corda vestra perlustret. Amen.

Quique dignatus est diversitatem linguarum in unius fidei confessione adunare, in eadem vos faciat fide perseverare, et per hanc ab spe ad speciem pervenire.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

In die Pentecostes ad vesperum. Benedictio.

Domine Jesu Christe, qui discipulis tuis tuum Spiritum tribuisti æcclesiæ tuæ Catholice dona largire. Amen.

Ut quicumque sunt ex aqua et Spiritu Sancto renati semper induant ejus protectione muniti. Amen.

Redundet in eis caritas diffusa per Spiritum Sanctum quæ operiat ac superet omnem multitudinem peccatorum. Amen.

Requiescat in istis propitius qui quondam requievit in Apostolis gloriosus. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis qui per crucem passionis suæ vos redemit in terris: cui est honor et imperium, regnum et potestas in secula sæculorum.

Benedictio Dei Patris. Amen.

In Sabbato. Benedictio.

Benedicat vos Omnipotens Deus, qui cuncta ex nichilo creavit, et vobis in baptismate per Spiritum Sanctum remissionem omnium peccatorum tribuat. Amen.

Quique eundem Spiritum Sanctum in igneis linguis discipulis suis dedit, ipsius illustratione corda vestra perlustret, atque in suum amorem jugiter accendat. Amen.

Quatinus ejus dono a cunctis vitiis emundati ipsius opitulatione, ab omnibus adversitatibus defensi templum illius effici mereamini. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio Dei. Amen.

Dominica octava post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Trinitas, unus et verus Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, det vobis desiderare fideliter, agnoscere veraciter, diligere sinceriter. Amen.

Æqualitatem atque incommutabilitatem suæ essentiæ ita vestris mentibus infigat, ut ab eo nunquam vos quibuscumque fantasiis oberrare permittat. Amen.

Sicque vos in sua fide et caritate perseverare concedat, ut per ea postmodum ad sui manifestationem visionemque interminabilem introducat.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica j. post Pentecosten. Benedictio.

Benedicat vobis Dominus, et custodiat vos: illuminet faciem suam super vos, et misereatur vestri. Amen.

Convertat vultum suum ad vos, et det vobis pacem. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio Dei. Amen.

Dominica ij. post Pentecosten. Benedictio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus vestris et sanet omnes languores vestros. Amen.

Redimat de interitu vitam vestram, et satiet in bonis desiderium vestrum. Amen.

Auferat a vobis cor lapideum, et det vobis cor carneum. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica iij. post Pentecosten. Benedictio.

Benedicat vobis Dominus nostri oris alloquio, et cor vestrum sinceri amoris copulet nexu perpetuo. Amen.

Floreatis rerum presentium copiis justitia adquisitis, gaudeatis perenniter fructibus sincerissime caritatis. Amen.

Tribuat vobis Dominus dona perennia, ut post tempora feliciter dilata percipiatis gaudia sempiterna. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica iiij. post Pentecosten. Benedictio.

Emundet Dominus conscientias vestras ab omni malitia, et repleat sanctificatione perpetua. Amen.

Vota vestra clementer intendat, et peccata omnia propitiatus indulgeat. Amen.

Quæ pie optatis miseratus attribuat, et quæ pavescitis pius propugnator procul repellat. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica v. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, et sensum in vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen.

Catholicæ fidei vos documentis enutriat, et in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen.

Gressus vestros ab errore convertat, et viam vobis pacis et caritatis ostendat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica vj. post Pentecosten. Benedictio.

Amoveat a vobis Dominus totius maculas simulationis, et imbuat vos muneribus pure dilectionis. Amen.

Subjuget in vobis reluctationem carnis et sanguinis, et opem conferat perpetue caritatis. Amen.

Idque vos in presenti seculo diligere faciat quod a cœlestis paradisi hereditate non dividit. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica vij. post Pentecosten. Benedictio.

Inclinet Dominus aurem suam ad preces nostræ humilitatis, et det vobis gratiam suæ benedictionis, et premium sempiterne salutis. Amen.

Semper et ubique Dominum propitium habeatis, et ejus laudibus exultetis. Amen.

Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, et ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica viij. post Pentecosten. Benedictio.

Sanctificet vos Domini gratia, et ab omni malo custodiat. Amen.

Arceat a vobis omne quod malum est, et spiritus vestros corporaque purificet. Amen.

Alliget vos sibi vinculo caritatis, et pax ejus habundet in cordibus vestris. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica viiij. post Pentecosten. Benedictio.

Multiplicet in vobis Dominus copiam benedictionis, et confirmet vos in spe regni celestis. Amen.

Actus vestros corrigat, vitam emendet, mores componat, et vos ad cœlestis paradysi hereditatem perducat. Amen.

Eaque inventione repleri valeatis qua ei in perpetuum placeatis. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica x. post Pentecosten. Benedictio.

Deus, qui est vita mortalium salusque peccatorum, auferat a vobis omnes maculas delictorum. Amen.

Induat vos decore virtutum, sanctificet mentes, purificet voluntates, et det vobis sanctorum consortium angelorum. Amen.

Ut probabiles fide et opere inmaculati perveniatis ad æternam gaudiorum cœlestium hereditatem. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica xj. post Pentecosten. Benedictio.

Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.

Talique vos in presenti sæculo subsidio muniat, ut paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen.

Sicque corda vestra sanctificando benedicat, et benedicendo sanctificet, ut vobiscum immo in vobis jugiter habitare delectet.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xij. post Pentecosten. Benedictio.

Gratia sua vos Dominus locupletet, et cœlesti benedictione multiplicet. Amen.

Ab omni vos adversitate defendat, et pia semper miseratione custodiat. Amen.

Petitiones vestras placatus intendat, et culparum omnium vobis veniam clementer attribuat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xiij. post Pentecosten. Benedictio.

Det vobis munus suæ benedictionis, et repleat vos spiritu veritatis et pacis. Amen.

Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis, ut subripientium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen.

Sicque efficiamini in ejus subplicatione devoti, et in mutua dilectione sinceri, ut ad cœleste regnum pervenire possitis securi. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xiiij. post Pentecosten. Benedictio.

Benedictio vos Domini comitetur ubique, sibique vos sêmper faciat adherere. Amen.

Ipse vos suæ benedictione salvificet, qui dignatus est plasmare potenter. Amen.

Atque ita vos prestet feliciter vivere, ut cœlestis beatitudinis efficiat coheredes.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica xv. post Pentecosten. Benedictio.

Concedat vobis Omnipotens Deus munus suæ benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen.

Et qui vobis tribuit supplicandi affectum, tribuat consolationis auxilium.

Ut ab eo et presentis et future subsidium vitæ capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica xvj. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Dominus peccatorum vestrorum maculas purget, et sua vos benedictione illustret. Amen.

Repleat vos spiritalium donis virtutum, perseverare faciat in bonis propositum vestrum. Amen.

Sicque humilitatem vestram benignus acceptet, et suæ vos pietatis remuneratione locupletet. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xvij. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Deus cœlesti vos protectione circumdet, et suæ benedictionis dono locupletet. Amen.

Concedatque vobis ut qui in sola spe gratiæ celestis innitimini, cœlesti etiam protectione muniamini. Amen.

Quatinus et in presenti sæculo mortalis vite solatia capiatis, et sempiterna gaudia comprehendere valeatis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xviij. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Deus dexteræ suæ perpetuo vos circumdet auxilio, et benedictionum suarum repleat dono. Amen.

Ab omni vos pravitate defendat, et donis cœlestibus exuberare concedat. Amen.

Quo corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica xix. post Pentecosten. Benedictio.

Purificet Omnipotens Deus vestrorum cordium archana, qui benedictionis suæ vobis tribuit incrementa. Amen.

Ab omnibus vite presentis periculis exuamini, et virtutum spiritalium ornamentis induamini. Amen.

Quo illius adjutorio fulti, sic ei serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cœlis.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xx. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Deus universa a vobis adversa excludat, et suæ super vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen.

Corda vestra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possitis repleri beneficiis sempiternis. Amen.

Quatinus et exsequenda intellegentes, et intellecta exsequentes, et inter adversa mundi inveniamini indempnes, et beatorum spirituum efficiamini coheredes. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xxj. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.

Ab omnibus vos perturbationibus liberet, et mentes vestras in suæ pacis tranquillitate consolidet. Amen.

Quatenus spei fidei et caritatis gemmis ornati, et presentem vitam transeatis inlesi, et ad æternam perveniatis securi.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Dominica xxij. post Pentecosten. Benedictio.

Benedictionis Domini gratia vos semper protegat, et ab omni malo defendat: mundet vos ab omni crimine peccatorum, et sibimet placere faciat in æternum. Amen.

Ubique vobis Dominus placatus occurrat, et suæ benedictionis opera dignanter attribuat. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica xxiij. post Pentecosten. Benedictio.

Omnipotens Deus adaperiat cor vestrum in lege sua, et humiliet animas vestras ad capienda mandata cœlestia. Amen.

Quicquid vobis pro salute animarum vestrarum os mortalitatis nostræ enarrat, acceptum vobis pietas divina efficiat. Amen.

Ut divinis sermonibus animati cum eis qui pro vobis vigilant ad æternam beatitudinem mereamini pervenire inlæsi. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio Dei Patris.

Feria ij. Benedictio cotidiana.

Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, et sensum in vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen.

Catholicæ vos fidei documentis enutriat, et in sanctis operibus perseverabiles reddat: gressus vestros ab errore convertat, et viam vobis pacis et caritatis ostendat. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Feria iij. Benedictio cotidiana.

Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, et det vobis gratiam suæ benedictionis, et premium sempiternæ salutis. Amen.

Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, et ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen.

Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ benedictionis, et confirmet vos in spe regni cœlestis. Amen.

Actus vestros corrigat, vitam emendet, mores componat, et vos ad cœlestis paradisi hereditatem perducat. Amen.

Talique intentione repleri valeatis qua ei in perpetuum placeatis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Feria iiij. Benedictio cotidiana.

Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.

Talique vos in presenti sæculo subsidio muniat, ut paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen.

Sicque corda vestra sanctificando benedicat, et benedicendo sanctificet, ut vobiscum immo in vobis jugiter habitare delectet.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Feria v. Benedictio cotidiana.

Det vobis Dominus munera suæ benedictionis, et repleat vos spiritu veritatis et pacis.

Quatinus sic per viam salutis devota mente currentes, ut subripientium delictorum laqueos salubriter evadatis.

Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, et in mutua dilectione sinceri, ut ad cœleste regnum pervenire possitis securi. Amen.

Quod ipso. Amen. Benedictio.

Feria vj.

Benedicat vos Omnipotens Deus, et mentes vestras ab omni reatu malitiæ separet, et prestet vobis velle quod precepit, tribuatque quod oportet, et omni vos bono spiritalium virtutum locupletet.

Ut vos in fide firmet, in conversatione castiget, in virtute multiplicet, in firmitate relevet, in anxietate lætificet, in prosperitate preparet, omni iniquitate emundet, in tranquilitate sublimet, et ad vitam æternam perducat.

Gratiam suam vobis infundet, offensa indulgeat, crimina demittat, disciplinam ingerat, mansuetudinem tribuat, correctionem confirmet, et vitam perfectam conservet.

Quod ipse. Benedictio.

Feria vij. Benedictio.

Plebs tua, Domine quæsumus, nostram benedictionem accipiat, per quam cuncta noxia declinet et optata reperiat. Amen.

Circumcinge eam spiritali muro tuo, presta eis continuam sanitatem, da eis tempora tranquilla, da quieta secura et pacifica, ut possint pervenire ad gaudia æterna. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio.

Benedictio cotidiana.

Da, Domine, fidelibus tuis sapientiam, fidem rectam, patientiam probatam, abstinentie virtutem, et vitam tribue perennem. Amen.

Tu, Domine, nos omnes benedicere dignare, ut, te duce et te rectore, ad premia æterna mereamur pervenire. Amen.

Tunc nos cum omnibus elementis tuis benedicas, et spiritali alimonia cum angelis repleas. Amen.

Quod ipse.

Benedictio.

Benedictio cotidiana.

Benedic, Domine, omnem istam familiam quæ gratiam benedictionis tuæ invenire desiderat. Amen.

Propriam manum de cœlis emitte, et capita singulorum continge. Amen.

Descendat super hanc plebem gratia benedictionis tuæ, sicut descendit ros pluviæ ad irrigandam super faciem terræ. Amen.

Sic omnes manus tuæ sentiant tactum, et Spiritus Sancti percipiant gaudium, et benedicti permaneant in æternum. Amen.

Benedicant te creaturæ tuæ, Domine, et tu eas benedicere digneris cum pace. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem et sanguinem passionis suæ nos dignatus est redimere in terris. Amen.

Benedictio Dei, Patris.

Benedictio cotidiana.

Agnoscat Dominus in vobis proprium signum, et vobis suæ misericordiæ conferat donum. Amen.

Bella comprimat, famem auferat, pacem tribuat, inimici insidias longe repellat. Amen.

Merentium gemitus videat, vocem vestri doloris exaudiat, et lacrimas ab omni facie tergat. Amen.

Alternam vobis dilectionem indulgeat, et perfectam caritatem concedat.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem et sanguinem passionis suæ nos dignatus est redimere in terris. Amen.

Benedictio Dei, Patris et Filii.

Benedictio de cotidianis diebus.

Conservet vos Omnipotens Deus ab omnibus malis, et vos custodiat in omnibus bonis. Amen.

Separet a vobis cunctos adversarios vestros, et preparet innumerabiles amicos. Amen.

Separet vos ab inlicitis cogitationibus vestris, et conjungat cœlestium virtutum affectibus. Amen.

Terram vobis fructiferam faciat, et cœli serenitatem tribuat, et perfectam caritatem concedat. Amen.

Suis vos repleat benedictionibus, insuper exaltet in cœlorum regni sedibus. Amen.

Qui vobis benedixerit a Deo æterno sit benedictus, qui vobis nocuerit a Deo sit separatus. Amen.

Tribuat vobis cœlestem benedictionem, et perducat vos ad vitam sine fine durantem. Amen.

Quod ipse. Amen.

Quod ipse.

Benedictio ad matutinum de cotidianis.

Nunquam deseras, Domine, quam plantare dignatus es vineam tuam, sed facies eam semper excultam. Amen.

Nullis sepibus suffocetur, nec inportuna avium vastatione vexetur. Amen.

Sed adesto ei proximus semper et cotidianam fac de botribus ubertatem. Amen.

Non in ea lolium seminet inimicus, sed dignos tibi semper afferat fructus.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio vespertina de cotidianis diebus.

Ad custodiendam gregem hanc animarum, pastor bone, qui dormire nescis, invigila. Amen.

Et ne nocturnis terroribus fatigentur, cœlestia super eos velamenta pretende. Amen.

Humiliata tibi omnium capita dextera tuæ benedictionis sanctifica. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem passionis suæ vos redimit in terris.

Cui est honor et imperium, regnum et potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei, Patris.

Dominica v. de Adventu ante natale Domini.

Concedat vobis Dominus premium sincerissime caritatis, ut cum omnibus semper in pace vivatis. Amen.

Inimicorum omnium insidias superetis, et presentem vitam sincerissime peragatis. Amen.

Sitis etiam a reatu conscientie liberati, ut nichil metuatis in die judicii post futuri. Amen.

Quod. Benedictio.

Dominica iiij. ante natale Domini.

Omnipotens Deus cujus Unigeniti adventum et preteritum creditis, et futurum expectatis, ejusdemque adventus vos illustratione sua sanctificet, et sua benedictione locupletet. Amen.

In presentis vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, et se vobis in judicio placabilem ostendat. Amen.

Quo a cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem exspectetis interriti. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio.

Dominica iij. ante natale Domini.

Deus, cujus adventus incarnatione preteritus creditur, et judicii venturus exspectatur, vos antequam veniat expiet ab omni contagione delicti. Amen.

Prius in vobis diluat omne quod in illa futura examinatione puniturus est, ut cum justus advenerit judex non in vobis inveniat quod condempnet. Amen.

Quo veniente non incurratis supplicium æternum, sed remuneremini donariis sempiternis. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica ij. ante natale Domini.

Omnipotens Deus vos placito vultu respiciat, et in vos suæ benedictionis donum infundat. Amen.

Et qui hos dies incarnatione Unigeniti sui fecit sollempnes, a cunctis presentis et future vitæ adversitatibus vos reddat indempnes. Amen.

Ut qui de adventu Redemptoris nostri secundum carnem devota mente lætamini, in secundo cum in majestate sua venerit premiis æterne vite ditemini. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Dominica j. ante natale Domini..

Deus, qui vos et prioris adventus gratia reparavit, et in secundo daturum se vobis regnum cum sanctis angelis repromisit, adventus sui vos illustratione sanctificet. Amen.

Vincula vestra dissolvat antequam veniat, ut liberati a vinculis peccatorum, interriti tremendum ejus exspectetis adventum. Amen.

Et quem venisse in terris pro vestra salute creditis, venturumque judicem sustinetis adventus sui gloriam inpavidi mereamini contueri. Amen.

Quod ipse. Amen.

Benedictio. Amen.

Benedictio de Sancta Trinitate requiretur retro in octavas Pentecostes.

Omnipotens Trinitas, unus et verus Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Benedictio in vigilia natalis Domini.

Omnipotens Deus, qui incarnatione Unigeniti sui mundi tenebras effugavit, et ejus gloriosa nativitate hanc sacratissimam noctem inradiavit, effuget a vobis tenebras vitiorum, et inradiet corda vestra luce virtutum. Amen.

Quique ejus sacratissime nativitatis gaudium magnum pastoribus ab angelo voluit nuntiari, ipse super vos benedictionis suæ gratissimum imbrem infundat, atque, ipso pastore, vos ad æternorum gaudiorum pascua æterna perducat. Amen.

Et qui per ejus incarnationem terrena cœlestibus sociavit, interne pacis et bone voluntatis vos nectare repleat, et cœlestis militiæ consortes efficiat.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in die natalis Domini.

Benedicat vos Omnipotens Deus, vestramque ad superna excitet intentionem, qui hanc sacratissimam diem nativitate Filii sui fecit esse sollempnem. Amen.

Et qui eum qui panis est angelorum in presepi æcclesiæ cibum fecit esse fidelium animarum, ipse vos, et in presenti sæculo degustare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, et in futuro perducat ad satietatem æternorum premiorum. Amen.

Quique ejus infantiam vilibus voluit indui pannis, ipse vos cœlestium vestimentorum induat ornamentis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in die natalis Domini ad vesperum.

Deus, qui adventum tuæ majestatis per angelum Gabrielem antequam descenderis nuntiari jussisti. Amen.

Qui dignanter infra humana viscera ingressus est, et ex alvo virginis hodie te mundus clarificatum excipit.

Tu, Domine, benedic hanc familiam tuam quam hodierna sollempnitas in adventu tuo fecit gaudere. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem passionis suæ vos redemit in terris: cui est honor et imperium, regnum et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei, Patris. Amen.

In natale Sancti Stephani proto-martyris.

Deus, qui beatum Stephanum proto-martyrem coronavit, et confessione fidei et agone martyrii mentes vestras circumdet, et in presenti sæculo corona justitiæ, et in futuro perducat vos ad coronam gloriæ. Amen.

Illius obtentu tribuat vobis Dei et proximi caritate semper exuberare, qui hanc studuit etiam inter lapidantium impetus obtinere. Amen.

Quo ejus et exemplo roborati et intercessione muniti, ab eo, quem ille a dextris Dei videt stantem, mereamini benedici. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in natale Sancti Johannis Evangelistæ.

Omnipotens Deus dignetur vobis per intercessionem beati Johannis Apostoli et Evangelistæ benedicere, qui per eum archana verbi sui voluit æcclesiæ suæ revelare. Amen.

Concedat vobis ut quod ille Spiritus Sancti munere afflatus vestris auribus excellenter infudit, ejusdem Spiritus dono capere mente valeatis. Amen.

Quo ejus documento de divinitate nostri Redemptoris edocti, et amando quod tradidit, et predicando quod docuit, et exsequendo quod jussit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Jesus Christus Dominus noster repromisit. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio Innocentium.

Omnipotens Deus, pro cujus Unigeniti veneranda infantia, infantum innocentium catervas Herodis funesti peremit sevitia, suæ vobis benedictionis tribuat dona gratissima. Amen.

Et qui eis concessit ut unicum Filium ejus Dominum nostrum non loquendo sed moriendo confiterentur, concedat vobis ut fidem veram, quam lingua vestra fatetur, etiam mores probi et vita inculpabilis fateatur.

Quique eos primitivum fructum sanctæ suæ suscepit Æcclesiæ, cum fructu bonorum operum vos faciat pervenire ad gaudia æternæ patriæ. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in octavas Domini.

Omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die, ne legem solveret quam adimplere venerat, corporalem suscepit circumcisionem, spiritali circumcisione mentes vestras ab omnibus vitiorum incentivis expurget, et suam in vos benedictionem infundat. Amen.

Et qui legem per Moysen dedit, ut per mediatorem nostrum benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum, et faciat perseverare in novitate virtutum.

Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc sæculo vivatis, et in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescatis, quatinus in octavo resurrectione renovati jubelei remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perveniatis.

Quod ipse. Amen.

Benedictio.

Benedictio in Theophania.

Deus, lumen verum, qui Unigenitum suum, hodierna die, stella duce, gentibus voluit revelare, sua vos dignetur benedictione ditare. Amen.

Quo exemplo Magorum mystica Domino Jesu Christo munera offerentes, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum. Amen.

Detque vobis veram mentium innocentiam, qui super Unigenitum suum Spiritum Sanctum demonstrari voluit per columbam, eaque virtute mentes vestræ exerceantur ad intelligenda divine legis archana, qua in Chana Galileæ lympha est in vinum conversa.

Quod ipse. Amen.

Benedictio.

Benedictio Epiphaniæ Domini ad vesperum.

Deus, mirabilium et virtutum auctor, te supplices exoramus, ut qui se tunc mundi lumen stellæ prodidit lumine, et humilitatem videre Magi pervenerunt ad Regem, ipse ad agnoscendum se delicta ignoscenda concedat. Amen.

Et qui dignatus est hodie ad Jordanis fontem fons aquæ vive

descendere, ut lavacro sancti corporis ipsas aquas diluceret cum ablui nos elegeris. Amen.

Quia rursus hic ille dies est qui in Chana Galileæ te designavit Dominum virtutis et gloriæ, cum ad beatum convivium, rogatus ad nuptias quis esses, demonstrasti in operibus virtutum miraculis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

In purificatione Sanctæ Mariæ. Benedictio.

Omnipotens Deus, qui per Unigenitum suum hodierna die in assumpta carne in templo voluit presentari, benedictionis suæ vos munere fultos bonis operibus faciat exornari. Amen.

Et qui eum, ut legem adimpleret, ministrum voluit effici legis, mentes vestras instruat legis suæ spiritalibus documentis. Amen.

Quo ei et pro turturibus castitatis seu caritatis munera offerre valeatis, et pro pullis columbarum spiritalibus donis exuberetis.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio. Adnuntiatio Sanctæ Mariæ.

Deus, qui cum te non capiant cœli, dignatus es in templo uteri virginalis includi, ut mater integra haberet et fructum de spiritu, et incorruptionem de partu, da Æcclesiæ tuæ angelum custodem, qui Filium Mariæ, fide concipiente, predixit. Amen.

Sanctificetque gregem tuum illa benedictio, quæ sine semine humano Redemptorem virginis formavit in utero. Amen.

Ut te protegente exultet Æcclesia de congregato populo, sicut Maria meruit gloriari de fructu pretioso.

Quod ipse. Benedictio.

V. Kal. Maii. Inventio Sanctæ Crucis. Benedictio.

✠ Benedicat vos Omnipotens Deus, qui per Unigeniti sui Jesu Christi Domini nostri passionem, et crucis patibulum genus redemit humanum. Amen.

Concedatque vobis ut cum omnibus sanctis, quæ sit ejusdem crucis longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, mente devota comprehendere possitis. Amen.

Quatenus vosmet ipsos abnegando crucemque gestando, ita in

presentis vitæ stadio Redemptorem nostrum possitis sequi, ut ei inter choros angelorum post obitum mereamini adscisci. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

VIII. Kal. Julii. In natale Sancti Johannis Baptistæ.

Benedicat vos Omnipotens Deus beati Johannis Baptiste intercessione, cujus hodie natalicia celebratis, concedatque ut cujus sollempnia colitis patrocinia sentiatis. Amen.

Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, et bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit. Amen.

Quatenus ipsius agni quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, et innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Kal. Augusti. Benedictio in natale Machabeorum.

Exaudi preces supplicum Omnipotens conditor rèrum, qui es gloria sæculorum, remuneratio fidelium, purificatio gentium, recuperatio animarum. Amen.

Sic huic familiæ ad hodiernam Machabeorum confluenti sollempnitatem dona salutem adquirere, et tuæ majestati vota votis offerre. Amen.

Ut intercessione Machabeorum martyrum, quorum hodierna die celebramus triumphum, illuc plebs devota occurrat per veniam quo martyres meruerunt ascendere per palmam. Amen.

Ille vos benedicat. Amen. Benedictio.

III. Kal. Julii. Natalis Apostolorum Petri et Pauli. Benedictio.

Benedicat vos Deus, qui nos beati Petri saluberrima confessione in æcclesiasticæ fidei fundavit soliditate. Amen.

Et quos beati Pauli sanctissima instruxit predicatione, sua tueatur gratissima defensione. Amen.

Quatinus Petrus clave, Paulus sermone, utrique intercessione, ad illam vos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die pervenere. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio Sancti Laurentii.

Sanctæ Trinitatis super vos benedictio descendat gratissima, qui beati Levite Laurentii martyrisque gloriosi festum mente celebratis devotissima. Amen.

Illius mereamini suffragiis fulciri, exemploque roborari, qui nec sevitia torquentium frangi, nec inmanissima tormentorum crudelitate a gloriosissima Christi confessione potuit labi. Amen.

Et qui eum, superato diverso tormentorum genere, cœlestem gloriam felici dedit scandere cum triumpho, ipse vobis concedat vigore fidei vitiorum pellere contagia, et cum electis omnibus indui inmarcescibilis gloriæ corona. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

XVIII. Kal. Septembris. Adsumptio Sanctæ Mariæ.

Deus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum genus humanum dignatus est redimere, sua vos dignetur benedictione locupletare. Amen.

Ejusque semper et ubique patrocinia sentiatis, ex cujus intemerato utero auctorem vitæ suscipere meruistis. Amen.

Et qui ad ejus celebrandam festivitatem hodierna die devotis mentibus convenistis, spiritalium gaudiorum et æternorum premiorum vobiscum munera reportetis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

IIII. Kal. De passione Sancti Johannis Baptistæ.

Deus, qui vos beati Johannis Baptistæ concedit sollempnia frequentare, tribuat vobis et eadem devotis mentibus celebrare, et suæ benedictionis dona percipere. Amen.

Et qui pro legis ejus preconio carceralibus est retrusus in tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberat incentivis. Amen.

Et qui pro veritate que Deus est caput non est cunctatus amittere, suo etiam adventu ad capud omnium quod Christus est vos faciat pervenire. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in nativitate Sanctæ Mariæ.

Omnipotens Deus sua vos dignetur protectione benedicere, qui hunc diem per nativitatem beate Mariæ fecit clarescere. Amen.

Et qui per eam Filium suum voluit nasci, ejus intercessione adversitate defendi. Amen.

Quod in presenti evo ejus meritis et precibus adjuti sempiterna valeatis gratanter felicitate perfrui. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

XVIII. Kal. Octobris. Exaltatio Sanctæ Crucis. Benedictio.

✠ Deus, qui beate cru✠cis patibulum quod prius erat scelestis ad pœnam convertisti redemptis ad vitam, concede plebem tuam ejus vallari presidio, cujus est armata vexillo. Amen.

Sit et crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis auxilium, in prosperis adjumentum. Amen.

Sit in hoste victoria, sit in campo custodia, in domo sit concordia, sit in via fultura.

Ut pastor in futuro gregem servet incolumem, quæ nobis conversa est agno vincente in salutem. Amen.

Dignare hunc populum signo Sanctæ Crucis benedicere, ut in die judicii nullus possit a te eum separare. Amen.

Ille vos benedicat de cœlis, qui per crucem passionis suæ vos redimit in terris, cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

VI. Kal. Octobris. Basilicæ Sancti Michaelis Archangeli. Benedictio.

Deus, qui ad salutem nostram angelorum suorum utitur ministerio, eorum vos munimine custodiat custodiaque communiat. Amen.

Det vobis mentium puritatem et jugem corporum castitatem, qui eorum electis omnibus repromisit æqualitatem. Amen.

Quique illis certissimam suæ perennitatis tribuit fiduciam, ipse vos fidei, spei caritatisque perseverabili virtute confirmet, atque ad eorum beatitudinis societatem perducat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

In die Sancti Michaelis Archangeli.

Benedicat vos principium lucis angelorum quos sibi concives et consortes fecit in sedibus supernorum. Amen.

Quorum amministratione muniatur in terris vita vestra, ut liberati ab hostibus visibilibus et invisibilibus mereamini pervenire ad premia æterna. Amen.

Inter quorum venerationem Archangeli Michaelis suffulti auxiliis ejus memoriam celebretis hodie devotissime in arvis, ut illius societate fruamini in astris.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Kal. Novembris. Omnium Sanctorum.

Benedicat vos Deus beatorum martyrum suorum Ill. suffragiis, et liberet vos ab adversitatibus cunctis. Amen.

Commendet vos eorum intercessio gloriosa, quorum in conspectu ejus est mors pretiosa. Amen.

Ut sicut illi per diversa tormentorum cœlestis regni sunt sortiti hereditatem, ita vos eorum mereamini consortium per bonorum operum exhibitionem. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio in die Omnium Sanctorum, sive ad vesperum.

Concede Omnipotens Deus ut omnes ordines celestium virtutum, sanctaque Dei genetrix Maria, et sancti Apostoli tui, martyres, confessores, virgines, atque omnes sancti, quorum hodie gloriosam celebramus festivitatem, nos semper et ubique adjuvent, quatinus eorum suffragiis vitam capere valeamus æternam.

Auxilium tuum populi tui, Domine, fidelibus impende, et intercedentibus sanctis tuis quorum hodierna gaudemus festivitate, fac nos ab omni adversitate liberari, et in æterna felicitate cum illis lætari. Amen.

Deus, omnium rerum conditor, humani generis reformator, cœlestium terrestrium et infernorum creator, omnium te invocantium ab initio mundi exauditor, da nobis intercessionibus eorum omnium veniam pecaminum, ut cum illis sine macula regnum capere valeamus æternum.

Ille vos benedicat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio. Kal. Novembris. Natale Sancti Hilarii.

Deus, fundator fidei, indultor sacerdotii, congregatio plebis, sanctificatio confessoris, qui beatum Hilarium hac armasti virtute, ut tibi militaret in fide, concede huic familiæ pro se hunc intercessorem esse, quem votis colit pontificem in fide. Amen.

Sit apud te pro nobis exorator, qui tunc contra hereticos pro te adstitit assertor: ut, te retribuente, populus crescat innumerus, quod suadavit in fide sacerdos.

Ille vos benedicat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio Omnium Sanctorum.

Benedicat vos Omnipotens Deus per omnium sanctorum gloriosissimam intercessionem, et vestram placidissime dignetur suscipere humillimam benedictionem.

Et quorum in terris corde sincero felicissimum celebratis triumphum, ipsis opitulantibus ad eorum in cœlis perduci mereamini desiderabile consortium.

Quatinus terreni contagii maculis emundati, ac virtutum omnium radiantibus lampadibus exornati, et cœlestibus conjungi decenter agminibus, et venienti sponso valeatis occurrere cum bonorum operum fulgentibus luminaribus. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in natale Sancti Martini Episcopi.

Deus qui Martinum presulem tuum ita predestinasti, ut eum tuæ gratiæ perenniter juberes astringi, erige vota populi qui pretulisti gloriosa merita confessori: proficiat his ad fructum boni operis quicquid in sacerdote amplectuntur pro laude tui nominis. Amen.

Et ejus intercessione hic populus consequatur veniam, qui, te remunerante, felici servitio pervenit ad palmam.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in vigilia Sancti Andreæ.

Omnipotens Deus sua vos benedictione circumdet, qui beatum Andream apostolice dignitatis preconio sublimavit. Amen.

Concedatque vobis ipsum habere intercessorem in cœlis, cujus devote pervenitis in terris diem sollempnitatis. Amen.

Ipsius quoque interventu queatis scandere alta cœlorum, quo processit idem per crucis passionem sequendo Dominum magistrum. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in die Sancti Andreæ.

Deus, qui beatum Andream apostolum per passionem crucis ad sedes evexit æthereas, ipse vobis tribuat bonorum operum eundem sequi vestigiis. Amen.

Et quem peculiarem optinere meruistis patronum, ipso intercedente valeatis ad celeste feliciter pertingere regnum: eundemque mereamini videre in cœlis regnantem, cujus gratulanter celebratis sollempnissimum diem. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

In natale unius Apostoli.

Deus, qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur beati Apostoli sui Ill. intercedentibus meritis. Amen.

Defendatque vos a cunctis adversis apostolicis presidiis, qui vos eorum voluit ornari et munerari exemplis et documentis. Amen.

Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æterne patriæ hereditatem per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

In natale unius Martyris. Benedictio.

Beati martyris tui intercessione vos Dominus benedicat, et ab omni malo defendat: extendat in vos dexteram suæ propitiationis, qui eum suscepit per supplicia passionis.

Quo ejus in cœlo mereamini habere consortium, cujus devotis mentibus in terra celebratis triumphum. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

In natale unius Confessoris.

Omnipotens Deus det vobis copiosam benedictionem, qui beatum Ill. adscivit sibi virtute confessionis. Amen.

Et qui illum fecit coruscare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen.

Quo ejus exemplis eruditi, et intercessione muniti, cujus depositionis diem celebratis in terris, illi possitis in cœlesti regione adjungi. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

In natale unius Virginis. Benedictio.

Benedicat vos Deus, qui beate virgini Ill. concessit et decorem virginitatis et gloriam passionis. Amen.

Et cujus opitulatione illa meruit et sexus fragilitatem et persequentium rabiem devincere, vos possitis et vestrorum corporum inlecebras et antiqui hostis machinamenta superare. Amen.

Quo sicut illa sexu fragili virile nisa est certamen de hostibus triumphare, ita vos in hac mortalitate viventes valeatis, et antiquum hostem devincere, et ad regna celestia pervenire. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio in natale plurimorum Martyrum.

Benedicat vos Deus beatorum martyrum suorum Ill. suffragiis, et liberet ab adversitatibus cunctis. Amen.

Commendet vos eorum intercessio gloriosa, quorum in conspectu ejus est mors pretiosa.

Ut sicut illi per diversa tormentorum genera cœlestis regni sunt sortiti hereditatem, ita vos mereamini consortium per bonorum operum exhibitionem. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

In natale plurimorum Confessorum. Benedictio.

Sanctorum confessorum suorum Ill. meritis vos Dominus faciat benedici, et contra omnia adversa eorum intercessione muniri.

Eorum vos efficiat suffragio felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen.

Quo eorum imitantes exempla ad cœlestia pervenire possitis promissa. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio episcopalis in ordinatione Diaconissæ.

Omnipotens Deus intercedentibus sanctis virginibus suis vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoste etiam per feminas voluit triumphare. Amen.

Et qui illis voluit centesimi fructum, decoremque virginitatis, et agonem martyrii conferre, vos dignetur et vitiorum squaloribus expurgare, et virtutum lampadibus exornare. Amen.

Quatenus virtutum oleo ita peccatorum lampades possint repleri, ut cum eis cœlestis sponsi thalamum valeatis ingredi.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio episcopalis in ordinatione Diaconi.

Benedicat vos Deus misericordia plenus, pietate immensus, majestate gloriosus, virtute precipuus. Amen.

Multiplicetur pax in diebus tuis, saturitas in tempore, temperies in aere, fructus in germine. Amen.

Ut dum te pius miserator locupletat in suam hereditatem propitius introducat.

Benedicat in te Dominus imaginem quam plasmavit, et det misericordiam quam promisit. Amen.

Custodiat animam tuam quam redemit servando gratiam quam profudit.

Ut et impleas que precepit, et ille custodiat quod donavit. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio episcopalis in ordinatione Presbiteri.

Omnipotens sempiterne Deus respicere dignare de altissimo regni tui solio super hunc presbiterum benedictionem tuam toto corde postulantem. Amen.

Ut quem pretiosa sanguine Filii tui redimere voluisti, non permittas illi adversitatibus maculari. Amen.

Da ei, Domine, tempora tranquilla, quieta et pacifica, et letitiam spiritalem habeat sine fine per tempora. Amen.

Da ei cor quod te cognoscat, da sensum qui te intelligat, da intellectum quo terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata odiat, justitiam diligat. Amen.

Da ei sapientiam rectam, patientiam probatam, abstinentiæ virtutem, et vitam tribue perennem. Amen.

Benedictio super Regem dicenda tempore Synodi.

Benedicat tibi Dominus, custodiensque sicut te voluit super populum suum constituere regem, ita et in presenti sæculo felicem, et æterne felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum quem sua voluit opitulatione pro tua sanctificatione congregari, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, et in presenti sæculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio super Regem.

Benedic Domine clementissime hunc regem cum universo populo suo, sicut benedixisti Abraham in militia, Isaac in victima, Jacob in pascua. Amen.

Da ei de rore cœli benedictionem, de pinguedine terræ ubertatem, de inimicis triumphum, de lumbis suis sobolem regnaturum. Amen.

Sit indeficiens amor in populo, et pax peregrinis in regno. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio super Regem.

Omnipotens Deus dat tibi copiam suæ benedictionis, qui te populo suo preesse voluit dono suæ miserationis. Amen.

Dextera potentiæ suæ inimicorum tuorum colla prosternat, et te invictum hostium feritate depressa pacifice regnare concedat. Amen.

Et cum eo sine fine feliciter regnare contingat in cœlis, a quo accepisti ut munere suæ pietatis regnare merereris in terris. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio Regis.

Omnipotens Deus qui te ad regendum populum paterne sedis solio disposuit sublimare misericorditer, suæ servitutis obsequio dignetur corroborare, donisque cœlestibus locupletari. Amen.

Accendat in te ignem perfecti sophismatis, et flagrantiam gemine caritatis, quibus nobiliter instructus, et regni fastigium sagaciter valeas educare, et hostium jacula triumphaliter defringere. Amen.

Quatinus doni cœlestis munere ditatus, presentis ævi curricula gloriosus deducas, atque mandata sacre legis fideliter teneas, ut ad Christum, qui via, veritas et vita est, feliciter pervenire valeas.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio super Episcopum.

Respiciat te Dominus, et benedicat episcopatum tuum Ill., et confirmet in unitate, custodiat quiete in fide, adjuvet te in temptatione, castiget te in conversatione: vos in infirmitate relevet, in anxietate letificet, in prosperitate temperet, ab iniquitate emendet, in tranquillitate sublimet. Amen.

Infundat Dominus benedictionem spiritalem super populum tuum, indulgeat vobis omnia delicta criminum, et tribuat vobis veniam omnium peccatorum. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Benedictio super Sacerdotes.

Deus, qui post illum gloriose resurrectionis ascensum, nunquam deesse tuis cultoribus promisisti, largire his sacerdotibus illam gratiam qua sint perfecti regimine, ferventes in tua caritate.

Indulge eorum precibus populis veniam, qui eos convocare non dedignaris ad coronam.

Dignare, Domine, eos erudire sanctis dogmatibus, et multiplica in operibus eorum justitiæ fructus. Amen.

Ut pastorum cura uniti evadant supplicia tartari, et adipisci mereantur regni gloriam sempiterni.

Det vobis Dominus lætitiam sempiternam, ut in die judicii innumero electorum invenire mereamini immarcescibilem gloriæ coronam.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Benedictio super infirmum.

Omnipotens Deus hunc infirmum visita, egrotum sana, invalidum confirma, validumque corrobora, et ad regna erige cœlestia.

Exaudi orantem, trahe ruentem, erue errantem, dirige neglegentem, infirmo huic concede caritatem.

Liberes eum de variis languoribus, de terrenis cupiditatibus, de diaboli atque inferni faucibus. Amen.

Sana, Domine, omnium medicator, ejus febrium et vietorum languorum cruciatus egritudinemque, et dolorum omnium dissolve tormenta. Amen.

Visceraque ejus in terra sana, medicina tua putredines evacua, cicatrices sana, carnis et sanguinis materiem reforma.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Pro iter agentibus.

Omnipotens Deus cujus misericordia ubique cognoscitur, et actuum famulantibus miseretur, iter vestrum clementer dirigat, adque ad locum optabilem vos incolumes deducat. Amen.

Angelorum jugiter collegium habere mereamini comitem, necnon in omnibus et contra omnia previum, quorum solatio muniti eundo et redeundo semitarum vestigia transeatis inlesi. Amen.

Quatinus instantis ævi tramitem sic communiter compensetis, ut et inlecebras Ægypti devitetis, atque per viam justitiæ ad inmarcescibile felicitatis premium perveniatis.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Alia benedictio.

Deus, æterne providentiæ dispositor, et omnium amator, dirigat viam vestram, cum collegio angelorum, et oratione sanctorum. Amen.

Adsit vobis Raphael magnus Tobiæ custos et previus, ut humanam et diabolicam devitetis calliditatem, et Christum viæ veritatis et vitæ mereamini habere comitem. Amen.

Sit ejus vobis inexpugnabilis clipeus eundo et redeundo, quo

mentis et corporis incommoditate eruamini, habere et quicquid desideratis affectu celeri consequamini.

Quod ipse. Benedictio.

Benedictio super synodum.

Christus Dei filius, qui est initium et finis, complementum vobis tribuat caritatis; et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire concilii, absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen.

Ut ab omni reatu liberiores effecti, et absoluti etiam per donum Spiritus Sancti, felici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illesi. Amen.

Semper proficiat cura vestra, ut quando judex venerit, evigilet fides vestra vigilantiæ premium de Domino perceptura. Amen.

De potestate predicandi in populo.

Et quod aliis ore predicatis corde semper teneatis. Amen.

Exaudiat vos Dominus in tempore orationis vestre, et det vobis consilium rectitudinis, et evadere mereamini supplicium Acherontis.

[Assumus Sancte Spiritus, assumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos, adesto nobis, et dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus, quo gradiamur, ostende quid efficiamus operari: esto solus et suggestor et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Patre et ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat: sed junge nos tibi efficaciter solius gratiæ tuæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero, qualiter in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justiciam, ut et hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur premia sempiterna.

In ij. die.

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium quæsumus, ut bonum quod nobis a te requiritur exequamur, scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis ardue subtile

judicium faciamus, ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis.

In iij. die.

Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes unanimiter postulamus, ut respectu gratiæ tuæ solidati precones virtutis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui.

In iiij. die.

Nulla est, Domine, humane conscientiæ virtus que inoffense possit tuæ voluntatis judicia expedire, et ideo quia inperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa quæsumus quæ perfecto equitatis fine concludere preoptavimus. Te in nostris principiis occursorem poscimus, te quoque in his judiciorum nostrorum excessibus suppliciter exoramus, scilicet, ut ignorantie parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut preceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare. Ob hoc te poscimus atque rogamus, ut si quid offensionis in hac concilii celebritate attraximus, condonante gratia tua veniam habeamus, ut in eo quod soluturi sumus aggregatum concilium primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, quatinus et transgressores veniam, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna.]

Oratio ad pedes lavandum.

Adesto, Domine, officio nostræ servitutis, quia tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis, ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandasti, quæsumus, sic ut hic exteriora abluuntur inquinamenta, sic a te omnium nostrorum interiora laventur peccata.

Quod ipse.

De Sancta Trinitate.

Benedicat vos Trina Majestas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et dimittat vobis omnia que nequiter gessistis. Amen.

Dies examinationis tales vos inveniat, quales fons regenerationis purgat.

Qui pro te se humiliant, et nostram benedictionem desiderant, tuam misericordiam semper et ubique inveniant. Amen.

Ille vos benedicat et custodiat et protegat atque defendat, et ipse tueatur vos de cœlis, qui est Redemptor vester in terris: ille corpora et animas vestras vivificet, et ad cœlestia regna perducat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Missa pro regibus in die benedictionis.

Ant. Justus es, Domine, et rectum.

Psalmus. Beati inmaculati.

Deus regnorum omnium et Christiani maxime protector imperii, da servo tuo regi nostro N. triumphum virtutis suæ scienter excolere, ut cujus constitutione sunt principes, ejus semper munere sint potestates.

Lectio libri Levitici. XXVI, 6-9

Hæc dicit Dominus Deus: Dabo pacem in finibus vestris, dormietis et non est qui exterreat, auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros: persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis, et persequentur quinque de vestris C. alienos, et C. ex vobis X. milia; cadentque inimici vestri in conspectu vestro gladio; respiciam vos, et crescere faciam, et multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum, dicit Dominus Omnipotens.

Grad. Salvum fac servum tuum.

Vers. Auribus percipe, Domine. Alleluia.

Magnus Dominus, *vel* Domine in virtute tua.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Mathæum. XXII, 15-59.

In illo tempore. Abeuntes Pharisæi consilium, *et cet. require retro in ebdomada xiij evangel. in feria v.*

Benedictio super regem noviter electum.

Te invocamus Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut hunc famulum tuum N., quem tuæ divine dispensationis providentia in primordio plasmatum, usque ad hunc presentem diem juvenili flore lætantem crescere concessisti, eum tuæ pietatis dono ditatum, plenumque veritatis gratia, de die in diem, coram Deo

et hominibus ad meliora semper proficere facias, ut summi regiminis solium, gratia superna largiente, gaudens suscipiat, et misericordiæ tuæ muro ab hostium adversitate undique munitus, plebem sibi commissam cum pace propitiationis et victoriæ virtute feliciter regere mereatur. Per.

Deus qui populis, *requiritur in capite libri.*

Alia.

In diebus ejus oriatur omnibus æquitas et justitia, amicis adjutorium, inimicis obstaculum, humilibus solatium, (elevatis*) correptio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax et securitas, unumquemque secundum suam mensuram moderate gubernans se ipsum sedulus discat, ut tua irrigatus conpunctione toto populo tibi placita prebere vitæ possit exempla, et per viam veritatis cum grege gradiens sibi subdito, opes frugales habundanter adquirat, simul et salutem non solum corporum sed etiam cordium a te concessam accipiat. Sicque in te cogitatum animi consiliumque omne componens, plebis gubernacula cum pace simul et sapientia semper invehire videatur, teque auxiliante, presentis vite prolixitatem percipiat, et per tempora bona usque ad summam senectutem perveniat, hujusque fragilitatis finem perfectam, ab omnibus vitiorum vinculis tuæ pietatis largitate liberatus, et infinite prosperitatis premia perpetua, angelorumque æterna commercia consequatur. Per.

Hic verget oleum cum cornu super capud ipsius, cum antiphona: Unceserunt Salomonem, *et Psalm.* Domine in virtute tua. *Unus ex pontificibus (dicat orationem†), et alii unguant.*

Deus, electorum fortitudo et humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluvii crimina mundi castigare voluisti, et per columbam, ramum olivæ portantem, pacem terris redditam demonstrasti, iterumque Aaron famulum tuum per unctionem olei sacerdotem sanxisti, et postea per hujus unguenti infusionem ad regendum populum Israheliticum sacerdotes, ac reges, et prophetas perfecisti, vultumque æcclesiæ in oleo exhilarandum per propheticam famuli tui vocem David esse predixisti: ita quæsumus, Omni-

* Deest in MS^to sed occurrit in MS. in Bib. Bodl. asservato, vulgo dicto "Missale Leofric."

† Deest in MS.

potens Pater, ut per hujus creaturæ pinguedinem hunc servum tuum sanctificare tua benedictione digneris, eumque in similitudinem columbe pacem simplicitatis populo sibi subdito prestare, et exemplo Aaron in Dei servitio diligenter imitari, regnique fastigia in consiliis scientiæ et æqualitate judicii semper assequi, vultumque hilaritatis per hujus olei unctionem tuamque benedictionem, te adjuvante, toti plebi paratum habere facias. Per.

Hic omnes pontifices cum principibus dant ei sceptrum in manu.

Benedic, Domine, hunc presulem principem, qui regna regum omnium a seculo moderaris. Amen.

Et tali eum benedictione glorifica, ut Daviticum teneat sublimitatis sceptrum salutis, et sanctificatus protinus reperiatur in merito. Amen.

Da ei a tuo spiramine cum mansuetudine ita regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Amen.

Tibi semper cum timore sit subditus, tibique militet, cum quieto regno sit tuo clypeo protectus cum proceribus, et ubique maneat sine pugna victor. Amen.

Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis patientia, in protectione clypeus sempiternus.

Vivat inter gentium catervas magnanimus: sit in judiciis æquitas singularis. Amen.

Locupletet eum tua predicta dextera, frugalem contineat patriam, et suis liberis tribuat profutura. Amen.

Da ei prolixitatem vitæ per tempora, et in diebus ejus oriatur justitia. Amen.

A te robustum teneat regiminis solium, ut cum jocunditate et justitia æterno glorietur in regno. Amen.

Et presta ut gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligantque caritatem. Amen.

Tu ejus mentem benignus inlabere, ut amore te timeat, et timore diligat. Amen.

Tu ei honor sis, tu gaudium, tu voluntas, tu in merore solatium, in ambiguitate consilium, in itinere consolator. Amen.

Tu in injuriis defensor, in tribulatione patientia, in ægritudine medicina. Amen.

In te habeat omne consilium, per te tuam discat a te commissam sapientiam regni gubernacula moderari, ut semper felix,

semper a te gaudens, de tuis mereatur beneficiis gratulari, et æternis valeat commerciis copulari. Amen.

Ut quem tu nobis hodie tua misericordia jocundum presentare dignatus es, tua facias multorum curriculis annorum protectione securum. Amen.

Et ita populus iste pullulet coalitus benedictione æternitatis, ut semper maneat tripudians in pace victoriosus. Amen.

Quod ipse prestare digneris, qui cum æterno Patre simul cum Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Hic datur ei baculus in manu sua.

Omnipotens det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine habundantiam terre, frumenti, et vini, et serviant tibi populi et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ, et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur, et Deus erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, in montibus, et in collibus, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, et uvarum, pomorumque: benedictiones patrum antiquorum Abraham et Isaac et Jacob portate sint super te.

Hic omnes pontifices sumant galeum et ponant super caput ipsius.

Benedic, Domine, fortitudinem regis principis, et opera manuum illius suscipe, et benedictione tua terra ejus de pomis repleatur, de fructu cœli et rore atque abyssi subjacentis, de fructu solis ac lune, de vertice antiquorum montium, de pomis æternorum collium, et de frugibus terre et plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput N., et plena sit benedictio Domini in filiis ejus, et tinguat in oleo pedem suum; cornua renocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ, quia ascensor cœli auxiliator suus in sempiternum fiat. Per.

Et dicat omnis populus tribus vicibus cum episcopis et presbyteris: Vivat rex N. in sempeternum. *Tunc confirmabitur cum benedictione omnis populus, et osculandum principem in sempiternum dicit.* Amen. Amen. Amen. *Tunc dicunt orationem septimam supra regem.*

Deus, perpetuitatis auctor, dux virtutum, omnium cunctorumque hostium victor, benedic hunc famulum tuum tibi suum capud inclinantem: effunde super eum gratiam firmam, et in militia in qua probatus consistit, prolixa sanitate eum, prospera

felicitate conserva, et ubicumque, vel pro quibuscumque auxilium tuum invocaverit, cito adsis, protegas, et defendas. Per.

Offert. Exaudi Deus orationem meam.

Super oblata.

Suscipe, Domine, preces et munera æcclesiæ tuæ pro salute famuli tui N. supplicantis, et protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut superatis inimicis, secura tibi serviat Christiana libertas. Per.

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus, qui providentia tua cœlestia simul et terrena moderaris, propitiare regi nostro N. et rebus nostris, ut omnis hostium fortitudo, te pro nobis pugnante, frangatur. Per.

Conjunctio.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui N. quod tibi in misterio officii sacerdotalis offerimus, pro eo quod in ipsum potestatem regni conferre dignatus es, propitius et benignus adsume, et exoratus nostra obsecratione concede, ut majestatis tuæ protectione confidens, et ævo augeatur, et regno. Per Christum, diesque nostros.

Communio.

Inlumina faciem tuam.

Post communionem.

Deus, qui ad predicandum æterni regni evangelium Christianum imperium preparasti, pretende famulis tuis nunc principibus nostris arma justitiæ cœlestia, ut pax æcclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum. Per.

Ad populum.

Omnipotens sempiterne Deus, nostri regni defende regem atque rectores, ut in tua dextera confidentes, fiant hostibus suis fortiores universis. Per Dominum.

Primum mandatum regis ad populum hic videre potes.

Rectitudo regis est noviter ordinati, et in solium sublimati, hæc tria precepta populo Christiano sibi subdito precipere: in primis, ut æcclesia Dei et omnis populus Christianus veram pacem servent in omni tempore. Amen.

Aliud est, ut rapacitates et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Amen.

Tertium est, ut in omnibus judiciis æquitatem et misericordiam precipiat, ut per hoc nobis indulgeat misericordiam suam clemens et misericors Deus. Amen.

CONSECRATIO ABBATIS SIVE ABBATISSÆ.

Concede, quæsumus Omnipotens Deus, ut famulum tuum N., quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequare, ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus.

Alia consecratio.

Deus, qui sub tuæ majestatis arbitrio omnium regnorum contines potestates, tibi supplices fundimus preces humiliter exorantes, ut hunc famulum tuum (*vel* hanc famulam tuam) a nobis indignis in gradum abbatis (*vel* abbatissæ) electum (*vel* electam) superne tuæ summeque sanctificationis gratia benedicere digneris, ut in diebus ejus devotio renascatur discipline, ut, te adjuvante, suis subditis tibi placita prebere possit exempla, tibique cum timore subditus ac mansuetus militans tuæ majestati mereatur ubique clypeo pacifico protegi, dextera tuæ divinitatis eum (*vel* eam) digneris locupletari, ut opem frugilem fratribus inferre, et omnibus undique advenientibus pie possit profutura exhibere: tu illi esto honor, tu gaudium in domo, in itinere socius, in merore solatium, in ambiguitate consilium, in egritudine medecina, in laboribus adjutor, in adversis defensor, in tribulatione patientia; ponat in te providentiam mentis, per te discat consilio commissi sibi gregis gubernacula sapienter moderari, ille semper felix semperque exultans de tuæ

bonitatis ditatus beneficiis mereatur gaudere, et prolixitatem presentis vitæ per tempora bona benigne suscipere, ac supernis civibus angelorum choris per æterna commercia copulari. Per.

Super hunc famulum tuum (*vel* hanc famulam tuam), Domine quæsumus, dignanter intende, et da ei scientiam veram, spem firmam, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus inveniatur ad accipiendam gratiam tuæ benedictionis. Per.

Benedictio virginis monialis.

Benedicat te conditor cœli et terræ, Deus Pater Omnipotens, qui te eligere dignatus est ad instar Sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, ad conservandam integram et inmaculatam virginitatem quam professa es coram Deo et angelis sanctis: idcirco serva propositum, serva castitatem per patientiam, ut coronam virginitatis tuæ accipere digna sis. Nunc exoro Domini nostri Jesu Christi misericordiam, ut hanc virginem benedicere et consecrare ac sanctificare dignetur. Qui cum.

Item benedictio virginum.

Benedicat te Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, omni benedictione spiritali, ut maneas incorrupta, inviolata et inmaculata sub vestimento Sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi: requiescat super te Spiritus septiformis Dei, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, repleat te Spiritus timoris Domini. Fragilem solidet, invalidam roboret, validamque confirmet, pietate allevet, miseratione conservet, mentem regat, vias dirigat, cogitationes sanctas instituat, actus probet, opera perficiat, caritate ædificet, sapientia illuminet, castitate muniat, scientia instruet, fide confirmet, in virtute multiplicet, in sanctitate sublimet, ad patientiam preparet, ad obædientiam subdat, in humilitate prosternat, ad continentiam det fortitudinem, reddat sobriam, protegat pudicam, in infirmitate visitet, in dolore relevet, in temptatione erigat, in conversatione custodiat, in prosperitate temperet, in iracundia mitiget, iniquitatem emendet, infundat gratiam, remittat offensa, tribuat disciplinam, ut his et his similibus virtutibus fulta, et sanctis

operibus illustrata, illa semper studeas agere, quæ digna fiant in remuneratione. Illum habeas testem quem habitura es judicem, et aptare, ut prefulgentem gestans in manu lampadem, intratura sponsi thalamum occurras venienti cum gaudio, et nichil in te repperiat fœtidum, nichil sordidum, nichil incultum, nichil corruptum, nichil inhonestum; sed niveam et candidam animam, corpusque lucidum atque splendidum, ut cum dies ille tremendus, remuneratio justorum, retributioque malorum, advenerit, non inveniat in te ultrix flamma quod uret, sed divina pietas quod coronet, quæ jam in hoc sæculo conversatio religiosa mundavit, ut tribunal æterni Règis ascensura celsa palatia cum eisdem merearis portionem qui secuntur Agnum, et cantant canticum novum sine cessatione, illic perceptura premium post laborem, semperque maneas in viventium regione, atque ipse benedicat te de cœlis, qui per cru✠cis passionem humanum genus est dignatus venire in terris redimere, Jesus Christus Dominus noster, qui cum eterno Patre et Spiritu Sancto in Trinitate perfecta vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio sanctimonialis, aut virginis, aut viduæ.

Effunde, Domine, cœlestem benedictionem super hanc famulam tuam sororem nostram Ill., quæ se humiliavit sub dextera tua. Amen.

Protege eam protectione tua divina, fugiat universa delicta, sciat sibi bona desideria præparata, ut regni cœlestis sancta conquirat lucra. Amen.

Pareat semper divinis preceptis, ut, te adjuvante, vincat incendia carnis, omnem libidinem prave voluptatis superet amore castitatis, habeat in se oleum sanctitatis, et letetur cum lampadibus sempiternis. Amen.

Gestet in manibus suis faces sanctas, et apud sapientes et castissimas animas, duce Christo, introire mereatur januam regni cœlestis. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio.

Consecratio vestimentorum virginum vel viduarum.

Deus, æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime consolator, qui vestimentum salutare, et indumentum jucunditatis

tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis, et contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ (*vel* famula tua) sancto visibiliter sunt informandæ proposito, propitius benedicas, et beate castitatis habitum quem, te aspirante, suscipiunt, te protegente, custodiant, et quas vestibus venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias inmortalitate vestiri. Per.

Benedictio vestis virginis vel viduæ.

Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hanc vestem quam famulæ tuæ Ill. pro conservandæ castitatis signo, se ad operiendam exposcit, benedicere et sanctificare digneris. Per.

Dicendum est quando virgines aut viduæ sacrum velamen accipiunt.

Accipe puella (*vel* vidua) pallium quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, cui flectet omne genu celestium et terrestrium et infernorum.

Omnipotens sempiterne Deus, adjuva quas virginitatis vel viduitatis honore dignatus es decorare, perferat (*vel* perferant) inchoati operis consummatum effectum, et votorum suorum expediat (*vel* expediant) institutum, virginalique (*vel* viduæ) habitu perfectam tibi offerant plenitudinem, et initia sua perducere mereantur ad finem, ut matura sanctimoniæ cumulent merita, et centenarium munus defuncto agone virginitatis (viduitatis) accipiant (accipiat).

Consecratio virginum ab episcopo dicenda.

Te invocamus, Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, super has famulas tuas (*vel* hanc famulam tuam) quæ tibi voluerunt servire puris mentibus, mundoque corde, ut eas (*vel* eam) sociare digneris inter illa CLXIIII. millia infantium, quæ virgines permanserunt, et se cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non est: ita et has famulus tuas (*vel* hanc famulam tuam) facias permanere inmaculatas (*vel* inmaculatam) usque ad finem, per inmaculatum Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit.

Deus, castorum corporum benignus inhabitator, et incorrup-

tarum amator animarum: Deus, qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam horum bonorum, que in novo sunt sæculo habenda perducas, et obstrictos adhuc condicione mortalium, jam ad similitudinem provehis angelorum: respice, Domine, super has famulas tuas in manu tua continentiæ suæ propositum conlocantes, quæ tibi devotionem suam offerunt, a quo ipsa vota sumpserunt: quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentie, vim consuetudinis, et stimulos ætatis evinceret, nisi tu hanc flammam virginitatis clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in earum corde benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua ex omni natione, quæ est sub cœlo, in stellarum innumerabilem numerum, Novi Testamenti heredibus adoptatis: inter ceteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de tuo Spiritu genitis indidisti, etiam hoc donum in quorundam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cum honore nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super conjugalem copulam tua benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores anime, que non hoc concupiscerent quod habet mortale conubium, sed hoc eligerent quod promisit divinum Æcclesie Christi sacramentum: Agnovit autorem suum beata virginitas, et emula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis filius. Implorantibus ergo auxilium tuum, Domine, et confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupientibus, da protectionis tuæ munimen et regimen, ne hostis antiquus qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfecte continentiæ palmam per aliquam serpat mentis incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptiarum. Sit in eis, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, et quod sunt professe custodiant. Scrutatori peccatorum non corpore placituræ sed mente transeant in numerum sapientium puellarum, ut cœlestem sponsum accensis lampadibus cum oleo preparationis expectent, nec perturbate inprovisi regis adventu, sed securæ cum lumine precedentium choro virginum occurrant, nec excludantur cum stultis,

sed regalem januam cum sapientibus virginibus licenter introeant, et magni tui perpetuo comitatu probabiles mansura castitate permaneant. Per.

Item alia ab episcopo dicenda.

Deus, castorum corporum benignus inhabitator, et incorruptarum amator animarum, respice super hanc famulam tuam Ill., quæ tibi devotionem suam offert, a quo et ipsa idem votum assumpsit. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lænitas, casta libertas: ferveat in caritate, et nichil extra te diligat, laudabiliterque vivat, et laudari non appetat: te timeat, tibi amore serviat: tu ei honor, tu gaudium, tu in merore solacium, tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate habundantia, in jejunio cybus, in infirmitate sis medicina: per te, quem diligere super omnia appetit, quod est professa custodiat, ut et hostem antiquum devincat, et vitiorum squalores expurget, quatenus centesimi fructus dono virginitatis decorari, virtutumque lampadibus exornari, et ad electorum tuorum virginum consortium, te donante, mereatur pervenire. Per.

CONSECRATIO VIDUÆ.

Consolare, Domine, hanc famulam tuam viduitatis languoribus constrictam, sicut consolari dignatus es Saraptenam viduam per Eliam prophetam; concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non meminerit voluptatum: nesciat etiam incentiva desideria, ut soli tibi subdat propria colla, quo possit pro laboribus tantis sexagesimum granum portare, munus delectabile sanctitatis. Per.

Deus, castitatis amator, et continentiæ conservator, supplicationem nostram benignus exaudi, et hanc famulam tuam propitius intuere, ut quæ pro timore tuo continentiæ pudicitiam vovit, tuo auxilio conservetur, ut sexagesimum fructum continentiæ, et vitam æternam, te largiente, percipiat. Per.

Ad ancillas Dei velandas.

Famulas tuas (*vel* Famulam tuam), Domine, tua custodia muniat pietatis, ut virginitatis (*vel* viduitatis) sanctæ propositum, quod, te inspirante, susceperunt, te protegente, inlesum custodiant. Per.

Oratio ad missam.

Omnipotens Deus, fidelium rector animarum, conserva in his famulabus tuis virginalis (*vel* viduitatis) pudicitiæ propositum quod dedisti, earumque desiderium usque ad consummatum victoriæ triumphum Spiritus Sancti tuere custodia. Per.

Super oblationem.

Respice, Domine, propitius super hanc famulam tuam (*vel* famulas tuas) ad sancte hostiam nostræ servitutis tuo conspectui immolandum, ut hæc famulæ tuæ virginitatis (*vel* viduitatis) sanctæ propositum, quod, te inspirante, suscipiant, te gubernante, custodiant. Per.

Prefatio.

Vere dignum. Tu, Domine, gratia tua perveniente, adjuva ancillarum tuarum voluntatem, quæ eligunt meliorem portionem: presta eis ut sobrie pudiceque viventes, hæc faciant semper quæ tibi sint placita. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famularum tuarum, quam tibi offerimus ob diem natalis earum, quo eas sacro velamine protegere dignatus es, quæsumus Domine, placatus [accipias*]. Per.

Post communionem.

Muneris divini perceptio, quæsumus Domine, semper a nobis et peccata nostra submoveat, et externa depellat. Per Dominum.

Consecratio crucis.

Asparges me.

Miserere mei, Deus.

Deus gloriæ, excelse Sabaoth, fortissime Emmanuel, Deus pater bone et pulchre, pater vigilationis atque inluminationis nostræ, qui mundum regis, qui cuncta regna disponis, qui es bonorum

* Deest in MS.

conlator munerum, et bonorum omnium adtributor, cui gentes et populi serviunt, cui omnis angelorum legio famulatur, qui largiris famulis tuis unde ad laudem nominis tui debita tibi vota persolvant, cui primo fides offerentium complacet: deinde sanctificatur oblatio, quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, ut sanctifices et consecres tibi hoc signum cru✠cis, quod tota mentis devotione famuli tui religiosa fides construxit tropheum scilicet victoriæ tuæ et redemptionis nostræ, quod in amore Christi tui triumphalis in ævum gloria consecravit: Accipe hoc signum cru✠cis insuperabile, quo et diaboli exinanita potestas est, mortalium restituta libertas, licet fuerit aliquando in pœna, sed nunc versa est in honorem per gratiam, et quæ quondam reos puniebat supplicio, nunc obnoxios absolvit a debito criminum cunctorum, et per quod tibi [placuit nos redimere, nullum tibi*] dilectum amplius munus est, quam quod tui corporis dedicavit adfixio: nec tibi est magis familiaris oblatio, quam que manuum tuarum extensione sacrata est: Illis ergo manibus hanc accipe, quibus illam amplexus es: et sanctitate illius hanc sanctifica, ac sicuti per illam mundus expiatus est a reatu, ita offerentium famulorum tuorum anime devotissime, hujus crucis merito, et obsecrationibus sancti felicis martyris omni careant perpetrato peccato, et ut vere crucis virtute obtecti enitescant successibus adsiduis triumphorum: radiet hic Unigeniti Filii tui splendor divinitatis in auro, emicet gloria passionis in ligno, in cruore rutilet nostræ mortis redemptio, in splendore cristalli nostræ vitæ purificatio: sit suorum protectio, spei certa fiducia, eos simul cum gente et plebe fide confirmet, spe solidet, pace consociet: augeat triumphis, amplificet secundis, proficiat eis ad perpetuitatem temporis, et ad vitam æternitatis, ut eos et temporali florentes gloria muniat, et perpetua redimitos corona ad regna cœlestium virtute perducat: Presta per propitiationem sanguinis ejus quo placatus est, per ipsum mediatorem, qui se dedit redemptionem pro multis, qui se hostiam pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno crucis suæ principatus et potestates humiliavit, qui tecum sidereo considet throno, indissolubili conexione Spiritus Sancti per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

* Deest in MS.

Item consecratio crucis.

Benedic, Domine, hanc creaturam tuam per quam eripuisti mundum a potestate demonum, et superasti passione tua suggessorem peccati, qui gaudebat in prevaricatione primi hominis per lignum vetitum; sanctifica, Domine, signaculum passionis tuæ istud, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te efficiatur vexillum. Per.

Consecratio crucis sequitur.

Rogamus te, Domine, sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus operum bonorum, redemptio animarum, protectio ac tutela contra seva jacula inimicorum. Per.

Ordo ad sanctimonialem benedicendam.

Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem sui episcopi confertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professione sanctimoniæ. Prosternat se ante altare, et faciunt lætaniam.

Benedictio vestium virginis vel viduæ, ad consecrationem virginis et viduæ.

Deus, qui vestimentum salutare, et indumentum æterne jocunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famula tua Ill. sancto visibiliter est informanda proposito, propitius benedicas, et beatæ castitatis habitum, quem te inspirante susceperit, te protegente custodiat. Per.

Item alia.

Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hanc vestem, quam famula tua Ill. pro conservandæ castitatis signo se adoperiendam exposcit, bene✠dicere et sanctificare digneris. Per.

Alia oratio.

Visibilium et invisibilium rerum creator, Deus, adesto propitius, ut hæc indumenta sanctitatis effigiem ostendentia, desuper gratia tua irrigante, bene✠dicere et sanctificare facias, per te Salvator mundi: Qui vivis et regnas.

Item alia.

Inclina, quæsumus Domine, oculos majestatis tuæ ad benedicendam hanc viduitatis vestem, ut quæ inordinatis vestibus placuit, sacris induta benedictioni tuæ servire mereatur. Per.

Post hæc inponis viduæ pallium, et dicis.

Accipe viduæ pallium, quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesus Christi, cui flectit omne genu cœlestium et terrestrium et infernorum: Qui regit.

Benedictio viduarum.

Deus, qui Annam filiam Phanuelis vix per annos septem sortita jura conjugii, ita cum annis LXXXIV. in sancta et intemerata castitate servasti, ut noctibus ac diebus orationes jejuniaque miscentibus, ad prophetiæ gratiam, sub circumcisione Christi tui justus remunerator adduceres, quique deinceps per apostolicam institutionem sanctarum hujus ordinis feminarum sexus adolescentulas juniores instruens, cum sancti crismatis benedictione visitare, laudabili dispensatione voluisti suscipere: dignare, Domine omnium rerum, ut hæc famula tua in adgresse castitatis observatione perdurans, inter conjugatas uno tantum viro feminas fructum trigesimum sortiatur. Sit in illa cum misericordia discretio, cum humilitate largitas, cum humanitate sobrietas: opus tuum die ac nocte meditetur, et pro eo quod amisit conjugis solatium temporale, tu, qui rerum omnium requies es, secuturæ vitæ spatium spiritali consolatione conpensa, ut in die vocationis suæ talis venire mereatur, qualis Anna fuisse constat, quam usque ad prophetiæ spiritum commovisti. Per.

Consecratio viduæ.

Consolare, Domine, hanc famulam tuam viduitatis laboribus constrictam, sicut consolare dignatus es Sareptenam viduam per

Heliam prophetam: concede ei pudicitiæ fructum, antiquarum non meminerit voluptatum: nesciat etiam incentiva desideria, ut soli tibi subdat propria colla, quo possit pro laboribus tantis sexagesimum granum percipere munus delectabile sanctitatis.

Item alia.

Da, quæsumus Omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro spe retributionis promissi muneris se Domino desiderat consecrari, plena fide animoque permaneat: tribue ei pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia sanctitatem, ut ad meritum possit gloriæ pervenire. Per.

Benedictio ad omnia quæ volueris.

Benedic, Domine, creaturam istam, ut sit salutare remedium generi humano, et presta per invocationem sancti tui nominis, ut quicumque ex ea sumpserit, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiat. Per.

Benedictio ad fruges novas.

Regnator omnium sæculorum, Domine, qui spiritalem cibum omni animæ oportuno ministras in tempore, benedic tuam hanc creaturam, et concede nobis te perpetualiter benedicere, tuamque potentiam cum sanctis et electis tuis fiducialiter exaltare. Per.

Benedictio pomorum.

Te deprecamur Omnipotens Deus, ut benedicas hunc fructum pomorum, ut qui esu interdictæ arboris letalis pomi in protoparente justi funeris sententia multati sumus, per illustrationem Unici Filii tui Redemptoris, Dei ac Domini nostri Jesu Christi, et per Sancti Spiritus benedictionem: sanctifica omnia, atque benedic depulsis atque abjectis vetusti hostis atque primi facinoris incentoris insidiis salubriter ex hujus diei anniversaria sollemnitate diversis terræ edendis germinibus sumamus. Per.

Alia.

Deus, qui hujus arboris poma tua jussione et providentia progenita constanter bene✠dicere et sanctificare digneris, precamur, ut quicumque ex eis sumpserint incolomes esse valeant. Per.

Benedictio panis novi.

Benedico te, creatura panis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti per virtutem dominice passionis et resurrectionis a mortuis, ut sanctificatus verbo Dei benedictionem assumas adversus omnes nequitias spiritales, et universas valitudines infirmitatesque membrorum, ut quicumque te sumpserint, sis eis in tutelam mentis et corporis, in honorem Domini Jesu Christi, qui est Deus benedictus: qui cum Patre.

Alia.

Benedic, Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes gustantes ex eo accipiant tam corporis quam animæ sanitatem. Per.

Ad domum benedicendam.

Benedic, Domine, hanc domum et omnes habitantes in ea, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Jacob, ut in his parietibus angelus lucis habitet; sentiant in ea commanentes de rore cœli habundantiam, et per indulgentiam lætentur pacifici atque securi, et mittas in eam angelum pacis, qui introitum nostrum exitumque custodiat. Per.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra; descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis cum salubritate manentibus, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, respice de cœlo sancto tuo super domum famuli tui Ill., et super habitantes in ea, sicut respexisti super Abraham et Isaac et Jacob, atque habitaculum istum incolumem semper custodias. Per.

Oratio ad capillaturam.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum Ill., quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei remissionem omnium peccatorum, atque ad cœlestium donorum pervenire consortium. Per.

Oratio ante altare.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et corporalibus et spiritualibus enutriens eos alimentis, a cunctis hostibus redde securos. Per.

Suscipe, Domine, preces nostras, et muro custodiæ tuæ hoc sanctum altare circumda, ut omni adversitate depulsa, sit hoc sanctum semper domicilium incolomitatis et pacis. Per.

Oratio pro renuntiantibus sæculo, et cænobio se tradentibus.

Presta, quæsumus Domine, famulis tuis Ill. renuntiantibus sæcularibus pompis gratiæ tuæ januas apperire, qui dispecto diabolo confugiunt sub titulo Christi, jube venientes ad te sereno vultu suscipere, ne de eis inimicus valeat triumphare: tribue eis brachium infatigabile auxilii tui, mentes eorum fidei lorica circumda, ut felici muro vallati mundum se gaudeant evasisse. Per.

Oratio ad signum æcclesie benedicendum.

Primitus aspargatur signum aqua benedicta.

Benedic, Domine, hanc aquam (*vel* hoc signum) benedictione cœlesti, et adsistat super eam (*vel* eum) virtus Spiritus Sancti, ut

cum hoc vasculum (*vel* hæc vascula) ad invitandos filios æcclesiæ preparatum fuerit (*vel* preparata fuerint), ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum (*vel* hæc tintinnabula) longe recedat virtus inimicorum, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, lesio tonitruorum, calamitates tempestatum, omnis spiritus procellarum; ut cum clangorem illius (*vel* illorum) audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piæ matris gremium, cantent tibi inlæsi canticum novum in Æcclesia sanctorum, deferentes in sono tubæ preconium modulationis, per psalterium exultationem, per organum suavitatem, per tympanum jucunditatem, per cymbalum lætificationem, quatenus invitare valeant in templo sancto tuo suis obsequiis et precibus exercitum angelorum. Per.

Post hoc cantatur antifona: Laudet Dominum anima: *et sex ymni per ordinem:* Lauda anima mea, *usque*, Omnis spiritus laudet Dominum. *Lavas eam de aqua benedicta, deinde dicis collectam,*

Deus, qui per Moysen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri precepisti, quas dum Lævite tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus munitus, ut te adorandum fieret preparatus, quarum clangore hortatus ad bellum, tela prosternerent adversantium: presta, ut hoc vasculum (*vel* hæc vascula) tuæ æcclesiæ preparatum (*vel* preparata) sanctificetur (*vel* sanctificentur) a Spiritu Sancto, ut per illius (*vel* illorum) tactum vel sonitum fideles invitentur ad premium: ut cum melodia illius (*vel* illorum) auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul expellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum: temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter ac moderate suspensa. Prosternat aereas potestates dextera tuæ virtutis, ut hoc (*vel* hæc) audientes tintinnabulum (*vel* tintinnabula) tremescant effugiantque ante sancte crucis vexillum. Per.

Postea tanges eam de chrismate a foris vij. ab intus iiij., et dicis antifonam: Vox Domini super aquas. *Et sic per ordinem usque in finem psalletur iste ymnus:* Adferte Domino.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus adversantium cingebatur exercitus, cadere fecisti, tu hoc tintinnabulum (*vel* hæc tin-

tinnabula) cœlesti benedictione perfunde, ut ante sonitum ejus (*vel* eorum) longius effugentur ignita jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, lesio tempestatum: ut ad interrogationem propheticam, Quid est mare quod fugisti? suis motibus eum Jordanica retroacta fluenta respondeant. A facie Domini commota est terra; a facie Dei Jacob: Qui convertit solidam petram in stagnum aquæ, et rupem in fontes aquarum. Non ergo nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, super misericordiam tuam: ut cum presens vasculum (*vel* presentia vascula) sicut reliqua altaris vasa sacro chrismate tangitur, oleo sancto unguitur, quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici temptationibus liberi, semper fidei Catholice documenta sectentur. Per.

Tunc inpones in incensario ignem et tymiamam, tus et myrram, et eriges cloccam super incensario, ut totum fumum collegat, et tunc cantatur antifona.

Deus in sancto via tua: quis deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus.

Versus. Viderunt te aquæ Deus. *Ymnus usque in finem; postea oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, dominator Christe, cui secundum assumptionem carnis dormienti in navi dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato imperante dissolvit: tu necessitatibus populi tui benignus succurre, tu hoc tintinnabulum (*vel* hæc tintinnabula) Sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius (*vel* illorum) semper fugiat inimicus, invitetur ad fidem populus Christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per eum (*vel* ea) populus evocatus, atque sic per Daviticam cytharam delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus. atque ut Samuel crinigerum agnum mactante in holocausto tuo, rex æterne, imperio fragor aurarum turbam reppulit adversantium: ita dum hujus vasculi (*vel* horum vasculorum) sonitus transit per nubila, æcclesiæ conventum manus servet angelica credentium mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per.

Feria v. in cœna Domini hora vi^ta^. celebratur missa ad lateranis sic incipiens.

Pontifex dicit, Oremus. *Tunc ponuntur in altare Sancta; et altare est cavum. Omnibus rite in altare conpositis, oblata et libamenta, paucaque per ecclesiam luminaria accensa, diaconi dalmaticis vestiti, cerostata viiij. ante altare posita. Stante ante altare pontifice, et elevata dicente voce*, Sursum corda. *Respondet populus*, Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Respondet populus*, Dignum et justum est. *Et pontifex finito* Vere dignum. *Dicit omnis clericus et populus*, Sanctus, Sanctus, Sanctus. *Sic intrat in missam usque:* Sed venie, quæsumus Domine, largitor admittas. Per Christum. *Tunc diaconus cardinalis sumet oleum pro infirmis, portet usque ad pontificem, at ille paululum divertens se ab altare, stans in suo gradu, signans oleum in manu diaconi, et orationem institutam supra tacite dicens.*

Emitte, Domine, Spiritum Sanctum tuum Paraclytum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem egritudinem corporis, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas et martyres, chrisma tuum perfectum, Domine, a te benedictum permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem hæc omnia Domine.

Oratione finita, ponebatur oleum supra columnam quandam, et sacerdos missam ordine suo celebrans dicit, Per quem hæc omnia, Domine, *usque* sæcula sæculorum. *Respondet populus*, Amen; *et ille*, Preceptis salutaribus moniti, *et orationem dominicam, id est* Pater noster. *Et sacerdos*, Libera nos quæsumus Domine, *usque*, sæcula sæculorum. *Respondet populus*, Amen. *Et pontifex tacite signat calicem cum oblata sanctificata, nemine respondente. Diaconi cooperiant sacramenta. Facta missa, iterum in altare ascendente pontifice ad sedem suam, tunc archidiaconus ascendens cum chrismate, ampulam auream cum pallio albo habens in manu sua, et illud pallium mittens ex parte supra dexteram scapulam, stansque ante pontificem, et omnes episcopi et presbyteri et diaconi*

in circuitu ejus. Et ille pontifex tribus vicibus sufflans in ampulam tangens sua manu, dicit magna voce: Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Respondet populus*, Dignum. *Et sacerdos.*

Benedictio chrismatis principalis.

Vere dignum. Qui in principio inter cetera bonitatis et pietatis tuæ munera terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministri oleæ nascerentur quarum fructus sacro chrismate deserviret ; nam et David prophetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta pronoscens vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit, et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur, effusa similitudinem futuri muneris columba demonstrans per olive ramum pacem terris redditam nuntiavit, quod in novissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus hæc olei unexio vultus nostros jucundos efficiat ac serenos ; inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum prius aqua lotum per infusionem hujus unguenti constitueret sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor cum Filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari a Johanne undis Jordanicis exigisset, ut Spiritu Sancto in columbe similitudinem desuper misso, Unigenitum tuum in quo tibi optime complacuisses testimonio subsequentis vocis ostenderes, et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ consortibus suis unguendum David propheta cecinisset. Te, igitur, deprecamur, Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, per eundem Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creature pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, ut Sancti Spiritus ei admiscere virtutem cooperante potentia Christi tui, a cujus sancto nomine chrisma nomen accepit, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas et martyres, ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu Sancto chrisma salutis, eosque æterne vitæ participes et cœlestis gloriæ facias esse consortes. Per.

Et pontifex signat in modum crucis tribus vicibus cum pollice, et insufflat iterum tribus vicibus, cum halitu signat in crucis modum. Et subdiaconus suscipiens de manu archidiaconi portat cunctis in presbiterio stantibus ad osculandum. Alter vero cardinalis dia-

conus sequitur cum ampulla habens oleum exorcizatum, argenteo vestitus pallio fusco expansum supra humerum sinistrum suum, ascendit ad pontificem. Et ille oleum signans, oratione consecrationis, nullo respondente, submissa quasi tacita magis voce benedicens. Exorcismus olei incipit.

Deus, qui virtute Sancti Spiritus tui inbecillarum mentium rudimenta confirmas. Te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem istius creaturæ purgationem mentis et corporis, ut si que illis adversantium spirituum inhesere reliquiæ ad tactum sanctificati olei hujus abscedant, nullus spiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutis sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur, sed venientibus ad fidem servis tuis, et Sancti Spiritus tui operatione mundandis sit unctionis hujus preparatio utilis ad salutem, quam etiam cœlestis regenerationis nativitate in sacramento sunt baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus.

Finita oratione consecrationis, ab accolitis ad salutandum propheratur, et in secretario ponatur. Communicante clero omnique populo, dicit pontifex omnibus communicantibus, Accepit Jesus panem. Oremus. *Dicta oratione, respondet omnis populus,* Amen.

Orationes et preces super penitentem confitentem peccata sua more solito feria IIII. infra quinquagesimam.

Exaudi, Domine, preces nostras, et tibi confitentium parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia.

Preveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio: sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adherere. Per.

Alia.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, super hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, et veniam prestare peccantibus, qui dixisti, pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret et correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Oratio ad reconciliandum penitentem.

Feria v. in cena Domini.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, ut quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tue muneris exsequendi, et ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est operare. Per.

Alia.

Presta, quæsumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Æcclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per.

Deus, humani generis benignissime conditor, et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum tuum quem nullatenus mori desideras, et qui non derelinquis devium, adsume correctum. Moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, hujus famuli tui lacrimosa suspiria: tu ejus medere vulneribus, tu jacenti manum porrige salvator: ne Æcclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, nec grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces tibi fletumque cordis effundimus, tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam damnationis æterne evadat, et nesciat quod

terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus saucietur, sed integrum sit ei atque perpetuum quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per eundem.

Oratio super penitentem.

Da nobis, Domine, ut sicut puplicani precibus et confessione placatus es, ita et huic famulo tuo Ill. placare, Domine, et precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permaneat, et petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus et sacramentis restitutus, rursus cœlesti gloriæ mancipetur. Per Dominum.

Hic levas eos de pavimento his verbis dicendo, canaturque antifona.

Ant. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatorum, sed ut magis convertatur et vivat.

Psalmus. Miserere mei Deus.

Absolvimus vos vice beati Petri apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit: sed quantum ad vos pertinet accusatio, et ad nos pertinet remissio, sit Deus Omnipotens vita et salus omnibus peccatis vestris indultor. Per eum, qui cum eo vivit. Amen.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, vulnera nostra curare dignatus es; te supplices rogamus et petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atque ad pœnitentis confessionem movearis, remittasque omnia crimina et peccata universa condones, desque huic famulo tuo, Domine, N. pro suppliciis veniam, pro merore lætitiam, pro morte vitam, ut qui ad tantam spem celestis apicis devolutus est, et de tua misericordia confidens, ad bona pacis premii tui, adque ad cœlestia pervenire mereatur, et ad vitam æternam. Amen.

ORATIO AD AGAPEM PAUPERUM.

Da, Domine, famulo tuo Ill., sperata suffragia obtinere, ut qui tuos pauperes vel tuas æcclesias memoravit, sanctorum omnium simul et beati martyris tui Laurentii mereatur consortia, cujus nunc est exempla secutus. Per.

Oratio contra fulgora.

Primum spargatur aqua benedicta, et postea dicatur ista oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, et propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium, et vim procellarum in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per.

Oratio super vasa in loco antiquo reperta.

Omnipotens sempiterne Deus, insecrete officiis nostris, et hæc vascula, arte fabricata gentilium, sublimitatis tuæ potentia ita emundare digneris, ut omni inmunditia depulsa, sint tuis fidelibus tempore pacis atque tranquillitatis utenda. Per.

Oratio ubi vestimenta conservantur.

Deus, qui famulantibus tibi mentis et corporis subsidia misericorditer largiris, presta, quæsumus, ut quæ hic pietas tua in usus et necessaria corporum famulorum tuorum contulit, clementer habundare et conservare facias, ut his exterius utentes interius indumento amici justitiæ devoti semper tibi existere mereantur. Per.

Oratio super vestem novam.

Signaculum Domini nostri Jesu Christi super hanc vestem novam quam induimus ad custodiendum divinum propositum operum, ut Spiritus Sanctus regnet in homine qui circa se induerit eam. Per.

Oratio matrimonii.

Benedicat vos, Dominus, et custodiat vos Christus, ostendatque Dominus vultum suum ad vos, et det vobis pacem, impleatque vos Christus omni benedictione spiritali in remissionem peccatorum, in vitam æternam, in sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Respice, Domine, de cœlo super hanc conventionem, atque sanctam dignamque tuam benedictionem super eos profunde.

Alia.

Benedicat vos Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui trinus est in numero et unus in nomine.

Benedictio thalami.

Benedic, Domine, thalamum hoc, et omnes habitantes in eo, ut in amore tuo vivant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum. Per Dominum.

Alia.

Benedic, Domine, istos adulescentulos, sicut benedixisti Tobiam et Sarram filiam Raguelis: ita benedicere digneris, Domine, ut in nomine tuo vivant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum. Per.

Benedictio annuli.

Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, æterne Deus, tu permitte Spiritum Sanctum Paraclitum super hunc anulum. Per.

Benedictio lecti.

Benedic, Domine, lectum istum, et omnes habitantes in eo, ut sit in eis sanctitas, et castitas, et lenitas, et plenitudo legis, et obedientia Deo, Patri et Spiritui Sancto. Per.

Benedicat te Deus Pater, sanet te Dei Filius, inluminet te Spiritus Sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum inradiet, sensum tuum dirigat, et ad supernam vitam te perducat. Per.

Benedictio Domini sit super uxorem tuam, et super parentes vestros, ut videatis filios vestros et filios filiorum vestrorum usque in tertiam et quartam generationem, et sit semen vestrum benedictum a Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

BENEDICTIO POTUS SI MUS AUT MUSTELLA MERGITUR INTUS.

Benedic, Domine, hunc potum, et hæc vasa sicut benedixisti sex ydrias lapideas capientes metretas binas vel ternas, et vinum

factum de aqua in Chana Galileæ, sic benedicere digneris cervisam istam, ut sint sani et inmaculati omnes qui ex eo bibituri sunt, per invocationem nominis tui, Domine, qui regnas in sæcula.

Oratio super unguentum vel antidotum.

Deus, Pater Omnipotens, et Christe Jesu Fili Dei vivi, et Spiritus Sancte, rogo te, ut mittere digneris benedictionem tuam, et medecinam cœlestem super hanc creaturum, istum potum vel unguentum, ut prosit omnibus hominibus vel pecoribus quibus, et sanitas fiat eis in omnibus membris illorum corporum, ut non poterit diabolus nocere eis, nec in visu, nec in auditu, nec in ambulando, nec in gustando cibo, nec in bibendo potu. Sed tu, Domine clemens, qui es Salvator omnium, sanare eos facias ab omni periculo per benedictionem creaturæ, unguenti, vel potus erbarum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, per virtutem dominice passionis et resurrectionis a mortuis, ut sanctificata verbo Dei benedictionem adsumant adversus omnes nequitias spiritales, et universas invalitudines et infirmitates membrorum; ut quicumque sumpserint ex eis tutelam mentis et corporis, sumant in honore Domini nostri Jesu Christi, qui es Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Pro emendatione cervisæ et aliorum elementorum si mus aut mustella mergitur intus.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, rogo te, et peto in nomine Jesu Christi unigeniti Filii tui, ut sanctificare digneris et benedicere epulam istam, sicut benedixisti epulationem Abrahæ, Isaac, et Jacob, et sicut benedixisti sex ydrias in Chana Galileæ, et in vinum bonum converse sunt de aqua, ita convertere digneris materiam istam cervise in suavitatem et in hilaritatem servis tuis, qui in fide Catholica crediderunt. Per.

Benedictio civitatis.

Altus auctor æthralium, atque æterne Rex angelorum, et universorum ordinum gubernator, te deprecor summum atque tonantem Deum, qui es murus inexpugnabilis, et custos nunquam dormiens, qui regnas in æternum, Rex Israel, ut auferatur furor tuus et ira

tua civitate ista, et de domo sancta tua, et de locis omnibus in quibus necessaria utentia tuorum sint fidelium famulorum aut famularum: depelle morbos, aufer vinctos, absolve elisos, erige justos, dirige peccatores, converte vivos, laborantes releva, et in brachio extento circumda civitatem istam, et tua mira majestas auxilium tribuat nobis omnibus habitantibus in ea. Per.

Ad palmas benedicendas vel ramos.

Domine Jesu Christe, qui ante mundi principium venisti, et regni tui non erit finis, qui pro mundi salute in plenitudine temporum veniens, sicut per legem et prophetas eras promissurus, et veniente te in Hierusalem ad diem festum, turbæ multæ occurrerunt tibi, acceperuntque ramos palmarum, hæc clamantes: Osanna fili David. Ideo et nos supplici obsecratione deposcimus majestatem tuam, ut qui pro nostra venisti redemptione, salva nos a vinculis peccatorum nostrorum, morbos omnes expellas, infirmitates cures, aerum temperiem prestes, ramos et flores ligni palmarum quos populus per manus servi tui accepturus est tua benedictione sanctifica, ut quicunque eos acceperunt tua in omnibus repleantur gratia, et salutis consequantur medelam, et sicut per hujus diei sollempnitatem letantur, ita eorum habiticula tua benedictione repleas: corpora quoque et animas ab omni cogitatione mundas efficias, atque spiritalia eis tribuas chrismata gratiarum, ut paschalia festa, te auxiliante, cum omni alacritate suscipiant: te prestante Domino nostro Jesu Christo, qui vivis.

Deus, qui temporibus Noe famuli tui, per columbam ramum olive virentibus foliis in ore deferentem, post diluvii effusionem, cum pace hominibus reddita nuntiare voluisti, et qui Unigenito tuo Domino nostro Jesu Christo ad Jerosolimam properanti pueros Ebreorum cum ramis palmarum obviam venientes, laudesque decantantes, et voce elevata dicentes, Osanna in excelsis, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, voluisti benedicere; sanctificare atque consecrare digneris hos palmarum ramos diversarumque frondium vel florum, ut omnes, qui ex eis in manibus accipere voluerint tibi placere possint, et in die judicii cum palma victoriæ et fructu justitiæ ad judicium pervenire mereantur, et exinde gloriam accipientes indefectivam tecum sine fine vita æterna permanere. Per.

Benedictio ignis.

Domine Deus noster, Pater Omnipotens, exaudi nos, lumen indeficiens: tu es sancte conditor omnium luminum, benedic, Domine, hoc lumen quod a te sanctificatum atque benedictum est. Tu inluminasti omnem mundum, ut ab eo lumine accendamur, et inluminemur igne claritatis tuæ, sicut ignem inluminasti Moyse, ita inluminabis cordibus et sensibus nostris, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

Oratio super fontem ubi aqua negligentia contigit.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui per invisibilitatis tuæ potentiam has aquas ex nicholo conditas in hujus materiæ formam visibilis prebuisti, adque ex abditis investigabilibus concava per abyssi magnitudinem largitatis tuæ gratia humanis usibus fluenta fontibus influxisti: te tui famuli supplices exoramus uti has aquas, quas negligentia polluit, Sancti Spiritus tui gratia ad munditiam revocet atque purificet, et spiritus callidi hostis abscedat, has deinceps sanctificatas familiæ tuæ potabiles tribuas, ut adpotantium aqua mundet corpora cordaque sanctificet. Per.

In cœna Domini antequam dicatur Per quem hæc omnia

Benedictio lactis et mellis.

Benedic, Domine, has creaturas fontis lactis et mellis, et pota famulos tuos de hoc fonte perenni, qui est Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc melle et lacte; tu enim, Domine, promisisti patribus nostris Abrahæ Isaac et Jacob dicens: Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lacte et melle. Conjunge, Domine, famulos tuos Spiritu Sancto, sicut conjunctum est hoc lac et mel in Christo Jesu Domino nostro, qui tecum.

Benedictio super carnem agni in pascha antequam dicatur Per quem hæc omnia.

Deus universe carnis, qui Noe et filiis suis de mundis et inmundis animalibus precepta dedisti; qui agnum in Ægypto, Moysi et populo tuo in vigilia Pasche comedere precepisti in figura agni Domini nostri Jesu Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, in nocte illa omne primogenitum in

Ægypto peremisti, servans populum tuum agni sanguine pernotatum: dignare, Domine Omnipotens, benedicere et sanctificare has ovium mundarum carnes, ut quicunque ex populis tuis fidelibus comederint, omni benedictione cœlesti, et gratia tua saturati repleantur in bonis. Per.

Alia benedictio carnis quadrupedum ipso die Paschę.

Deus, qui ex divina providentia majestatis tuæ, per diversitatem generum suorum quadrupedum et volucrum, et principalia quoque in exordio elementa produxisti, mundoque quem his generibus in origine convescendi ad tuæ viam similitudinis condidisti, licentiam piissime contulisti, ut ipsum quippe fragile sustentaretur figmentum ad usum in escam haberetur vitæ: te supplices exoramus et poscimus, ut hanc carnem quadrupedum seu volucrum benedicere et sanctificare digneris, sitque et ea hominibus sumentibus anime benedictio, et corporis tutamentum, cunctisque visceribus purissimum firmamentum. Per quem hæc omnia.

Alia.

Deus, cœli terræque dominator, qui das escam omni carni, et imples omne animal benedictione, bene✠dic et sanctifica hanc creaturam carnium quam de tuis donis nobis concedis. Per.

Benedictio incensi in Sancto Sabbato antequam benediceris cereum, et ipsum debes mitti in cereum in ipso loco ubi dicitur Suscipe incensi.

Deus Omnipotens, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, inmitte in hanc creaturam incensi vim odoris tui vel virtutem, ut sit servulis tuis vel ancillis munimentum tutelaque defensionis, ne intret hostis in viscera eorum, aditumque et sedem habere non possit, per te Jesum Christum Fili Dei, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per cuncta sæcula.

Alia.

Domine Deus Omnipotens cui adstat exercitus angelorum cum tremore, quorum servitus in vento et igni convertitur: dignare, Domine, respicere et bene✠dicere et sanctificare hanc creaturam

tuam incensi, ut omnes languores et insidiæ odorem ipsius sentientes effugiant, et separentur a plasmatu quam pretioso sanguine redemisti, ut nunquam ledatur a morsu antiqui serpentis. Per.

Benedictio armorum.

Deus Omnipotens, qui mundum ex informi materia fecisti, et unicum Filium tuum tibi coæternum pro generis humani redemptione, Spiritu Sancto cooperante, incarnare jussisti: concede, quæsumus, ut hæc arma, gladios videlicet vel lanceas, sive loricas aut galeas labraque bene✠dicere consecrareque digneris, atque per virtutem potentiæ tuæ ab hostibus contra nos dimicantibus invicti permaneant, et quicumque ex his pugnaturi sunt, incolomitatem tam corporis quam animæ, te adjuvante, percipiant. Per.

Psalmus, Filii alieni *usque in finem. Et* Exurgat Deus *usque in finem.* (*Cantate*) Benedictus Dominus Deus meus *usque* Domine quidem. *Et aqua benedicta aspargentur arma, et securi postea homines utentur eis.*

Omnipotens et misericors Deus, cujus regnum est omnium sæculorum, supplicationes nostras clementer exaudi, et famulum tuum regem nostrum et regnum sibi subditum protege, ac principatum militiæ multiplica, ut in tua virtute confidentes tibi placeant, et super omnia regna percellant.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus æterno dominaris imperio, inclina ad preces humilitatis aures misericordiæ tuæ, et Romani (nostri) regni adesto principibus, et tua tranquillitate clementes tua semper sint virtute victores.

Alia.

Deus in te sperantium salus, et tibi servientium fortitudo, suscipe propitius preces nostras et Romani imperii (nostri) auxiliare militibus, ut, tua protectione muniti, omnibus sint hostibus fortiores. Per.

Benedictio luminis in purificatione Sanctæ Mariæ.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere et sanctificare digneris istum ignem quem nos indigni suscipimus, per invocationem Unigeniti Filii Domini nostri Jesu Christi, quem, hodie in templo presentatum, justum Symeonem diu exspectantem in ulnas suscepisse novimus, et salutare tuum ante faciem omnium populorum esse, lumen scilicet gentibus et gloriam plebis tuæ Israel, prophetico spiritu docuisti. Te, quæsumus Domine, benedicere digneris lumen istud, et omnibus hoc manibus gestantibus illud verum lumen tuæ majestatis concede, ut te agnoscentes per viam virtutum ad te valeant pervenire, qui in Trinitate perfecta gloriaris per omnia sæcula.

Benedictio panis ad infirmum.

Deus, qui revocas errantes, et salvas pœnitentes, medelam tribuens infirmantibus, et gloriæ coronam in bonis perseverantibus, qui ex quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiasti in tua misericordia sperantes; benedicere et sanctificare digneris hunc panem, ut quicumque ex eo sumpserit corporis sanitatem et anime tutelam percipiat. Per te Jesum Christum.

Benedictio casei et butyri et omnis pulmenti.

Deus, qui fecisti et creasti cunctis viventibus tuæ largitatis alimoniam, humanumque genus spiritalibus escis ac poculis tuorum preceptorum, terrenisque substantiis tuorum donorum indesinenter reficis: te Omnipotentem Jesum obnixe petimus, ut hæc tua dona, tu ipse qui eam creasti, et nobis donasti hanc creaturam N. formatici, sive casei vel butyri, sive sit quod sit, perpetua preclara benignitate sanctificare et bene✠dicere digneris, vescentibusque ex ea largam tuæ benedictionis sanitatem in visceribus eorum clementer conlòca, et presentis vitæ sospitatem, et future beatitudinem misericorditer indulge. Per.

Ad sponsas benedictio.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, benedic adolescentes istos, et semina semen vitæ æterne in mentibus eorum, ut quic-

quid pro utilitate didicerint hoc facere cupiant: Per Jesum Christum recuperatorem hominum, qui tecum et cum Spiritu tuo.

Benedic, Domine, thalamum hunc, et omnes habitantes in eo, et in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et in amore tuo vivent et senescant et multiplicentur in longitudine dierum. Per.

Alia.

Respice, Domine, de cœlo super hanc conventionem per angelum tuum Raphaelem pacificum, ut sint sani atque digni, tua benedictione perfunde. Per.

Benedicat vos Dominus: Deus custodiat vos, et misereatur vestri: Convertat Dominus vultum suum vobis, et det vobis pacem. Per.

Orationes ad libros benedicendos.

Oremus.

Descendat, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti tui super hos libros, qui eos mundando purificet, et bene✠dicat, atque sancti✠ficet, et omnium clementer corda illuminet, et verum intellectum tribuat, sed et illuminata precepta conservare, et implere, secundum tuam voluntatem bonis operibus implendo concedat: qui vivit.

Alia oratio.

Accende et inflamma, suppliciter flagitamus, Domine Deus noster, virtute Spiritus Sancti corda nostra et sensus nostros atque intelligentias nostras ad scrutandos sive intelligendos hos libros, nec non et alios tuæ inspirationis gratia conscriptos, ut ea, quæ in eis repperrimus, et intelligere veraciter, aliosque docere valeamus. Sed et in omnibus tua sequi, te donante, mandata studeamus: et nos omnesque hos libros dextera potentiæ tuæ bene✠dicere, magni✠ficare, consecrare, exal✠tare, puri✠ficare, ac conservare, atque omni tempore sanctificare digneris. Quatenus studiose ac devote hos et alios plurimos libros tuæ voluntatis jure conscriptos, legendo et intelligendo docendoque multos tibi lucrare, omnesque nobis commissos inmaculatos tuæ majestati representare valeamus, ipso auxiliante, cui est honor.

Benedictio vini.

Domine Omnipotens Christe, qui ex quinque panibus et duobus piscibus quinque milia hominum satiasti, et in Chana Galileæ ex aqua vinum fecisti, qui es vitis vera: multiplica super servos tuos misericordiam pietatis tuæ, quemadmodum fecisti cum patribus nostris in tua misericordia sperantibus: bene✠dicere et sancti✠ficare digneris hanc creaturam vini, quam ad substantiam servorum tuorum tribuisti, ut ubicumque ex hac creatura fusum fuerit, vel a quolibet potatum, divinæ benedictionis tuæ opitulentia repleatur, ut accipientibus ex eo cum gratiarum actione sanctificetur in visceribus eorum: Salvator mundi.

Pro oculorum infirmitate.

Benedicere et sanctificare digneris Omnipotens æterne Deus hanc creaturam N. oculorum, quam benedicimus in tuo sancto nomine, et Filii tui Jesu Christi, et Spiritus Sancti, ut sit ignis ardens adversus insidias diaboli, et prestet sanitatem dolorem patienti. Sana, Domine, oculos hominis istius, cui benedicimus hanc creaturam N. oculorum, sicut sanasti oculos Tobie sancti, et sicut aperuisti oculos duorum cæcorum clamantium tibi in evangelio, et dicentium: Miserere nostri Fili David: et misertus es illis, et aperti sunt oculi eorum. Per.

Orationes dicende cum adoratur Sancta Crux.

Domine Jesu Christe, gloriosissime conditor mundi, qui cum splendore gloriæ æqualis Patri Sanctoque Spiritui carnem inmaculatam assumere dignatus es, et gloriosissimas tuas sanctas palmas crucis patibulo permisisti configi, ut claustra dissipares inferni, et humanum genus liberares a morte: miserere mihi misero oppressum facinore, ac nequitiarum labe sordidatum, non me digneris derelinquere, gloriosissime Domine, sed dignare mihi indulgere quod malum egi, exaudi me prostratum ad adorandum vivificam crucem tuam, ut in his sacris sollempnis tibi merear assistere mundus: qui vivis.

Alia.

Domine Jesu Christe, adoro te in cruce ascendentem, spineam coronam in capite portantem; deprecor te, ut ipsa crux liberet

me ab angelo percutiente. Domine Jesu Christe, adoro te in cru✠ce vulneratum, felle et aceto potatum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, liberantem captivos: deprecor te, ut non me permittas introire in pœnis infernis. Domine Jesu Christo, adoro te ascendentem in cœlo, sedentem ad dexteram Patris: deprecor te, miserere mei. Domine Jesu Christe, adoro te venturum in judicio: deprecor te, ut in tuo adventu ne intras in judicio cum famulo tuo, me peccatore, sed deprecor te, ut dimittas peccata mea antequam judices. Amen.

Ad palmas benedicendas vel ramos.

Auge fidem in te sperantibus Deus, et supplicum preces clementer exaudi: veniat quoque super nos multiplex misericordia tua, qua benedicantur et hi palmites olivarum, et sicut in figura æcclesiæ multiplicasti Noe egredientem de arca, et Moysen exeuntem de Ægypto cum filiis Israel, ita nos portantes palmas aut ramos olivarum bonis actibus occurramus obviam Christo, et per ipsum in gaudium introeamus æternum per eundem.

Alia.

Deus, qui dispersa congregas et congregata conservas, qui populis obviam Jesu ramos portantibus benedixisti, benedic etiam hos ramos palme et olive, quos tui famuli ad gloriam nominis tui fideliter suscipiunt, ut in quocumque loco fuerint introducti, tua benedictione consequatur, ut omni adversa valitudine effugata, dextera tua protegat quos redemit. Per.

Alia.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui jussisti creaturam tuam ex arboreis virgultis olei producere ad concinnanda altaris luminaria, ita supplices prece deposcimus, ut hos ramos palme et olive bene✠dicere et sancti✠ficare digneris, ut famuli tui eos in manibus gestantes sint sanctificati anima et corpore, et tua benedictione repleantur, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis.

Alia.

Deus, qui Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum pro nostra salute in hunc mundum misisti, ut se humiliaret ad nos, et nos revocaret ad te, qui etiam dum Hierusalem veniret, ut adimpleret scripturas, credentium populorum turba fidelissima devotionis suæ vestimenta cum ramis palmarum in via sternebant: presta, quæsumus, ut illi fidei viam preparemus, de qua, remoto lapide offensionis et petra scandali, frondeat opere justitiæ ramos, ut ejus vestigia consequi mereamur. Per.

Alia.

Petimus, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut respicere digneris super hanc creaturam olive palmeque, quem ex ligni materie prodire jussisti, quam columba redigens ad arcam proprio protulit ore, benedicere et sanctificare digneris, ut quicumque ex ea acciperint accipiat sibi ad protectionem anime et corporis, fiatque, Domine, nostræ salutis remedium tuæ gratiæ sacramentum. Per.

INDEX.

Abbatis consecratio, 105.
Accoliti ordinatio, 13.
Altaris consecratio, 40.
——— reconciliatio, 56.
Armorum benedictio, 131.

Benedictio ad fruges novas, 115.
——— ad sponsas, 132
——— armorum, 131.
——— calicis, 47.
——— campanæ, 117.
——— civitatis, 127.
——— domûs, 116.
——— ignis, 129.
——— in dedicatione ecclesiæ, 52.
——— in ordinatione diaconi, 94.
——— ——— diaconissæ, 94.
——— ——— presbiteri, 94.
——— librorum, 133.
——— palmarum, 128, 135.
——— panis novi, 116.
——— pomorum, 115.
——— pro iter agentibus, 97.
——— signi ecclesiæ, 117.
——— super episcopum, 96.
——— ——— infirmum, 97.
——— ——— regem, 95.
——— ——— sacerdotes, 96.
——— ——— synodum, 98.
——— tabulæ, 41, 42, 46.
——— vestimentorum sacerdotalium, 16.
——— viduæ, 107, 114.
——— vini, 134.
——— virginis monialis, 106, 113.
Benedictiones episcopales, 58.
——— temporales et festivales, 58.

Calicis benedictio, 47.
Campanæ benedictio, 117.
Cimiterii consecratio, 54.
Civitatis benedictio, 127.
Confirmatio hominum, 6.
Consecratio abbatis, 105.
——— altaris, 40.
——— cimiterii, 54.
——— crucis, 111.
——— ecclesiæ, 26.
——— tabulæ, 47.
——— viduæ, 110.
——— virginum, 108.
Coronatio regis, 100.
Corporalis benedictio, 43.
Crucis consecratio, 111.

Dedicatio ecclesiæ, 27.
——— fontis, 53.
——— oratorii, 51.
Diaconi ordinatio, 18.
——— consecratio, 26.
Domûs benedictio, 116.

Ecclesiæ dedicatio, 27.
——— reconciliatio, 57.
Episcopi ordinatio, 1.
Exorcistæ ——— 13.

Fontis dedicatio, 53.

Ignis benedictio, 129.

Lectoris ordinatio, 12.
Librorum benedictio, 133.

Matrimonii orationes, 125.
Missa ad lateranis, 120.
—— in dedicatione ecclesiæ, 48.
—— pro regibus in die benedictionis, 100.

Oratorii dedicatio, 51.
Ordinatio accoliti, 13.
———— diaconi, 18.
———— episcopi, 1.
———— exorcistæ, 13.
———— lectoris, 12.
———— ostiarii, 11.
———— presbiteri, 21.
———— sub-diaconi, 14.
Ostiarii ordinatio, 11.

Palmarum benedictio, 128, 135.
Panis novi ———— 116.
Pœnitentum reconciliatio, 122.
Pomorum benedictio, 115.
Presbiteri ordinatio, 21.

Reconciliatio altaris, 56.
———————— ecclesiæ, 57.
———————— pœnitentum, 122.
Regis coronatio, 100.

Signi ecclesiæ benedictio, 117.
Sponsas, benedictio ad, 132.
Sub-diaconi ordinatio, 14.
Synodum, benedictio super, 98.

Tabulæ benedictio, 41, 42, 46.
———— consecratio, 47.

Vestimentorum sacerdotalium benedictio, 16.
Viduarum benedictio, 107.
———————— consecratio, 110.
Vini benedictio, 134.
Virginis monialis benedictio, 106, 113.
———————————— consecratio, 108.

J. B. Nichols and Sons, Printers, 25, Parliament Street.

224
861

CIRCULATE AS MONOGRAPH

CIRCULATE AS MONOGRAPH

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY